



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


C

3310.5

C 3310.5




HARVARD UNIVERSITY LIBRARY





**FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT**

**MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST**


**DIVINITY SCHOOL LIBRARY - GIFT OF THE
SOCIETY FOR PROMOTING THEOLOGICAL EDUCATION**











207

BREVIS ENARRATIO HISTORICA

DE STATU

ECCLESIAE MOSCOVITICAE

AUCTORE

P. BERNARDO RIBERA

ORD. PRÆD.

EDITIO NOVA, EMENDATIO ET AUCTION

CURANTE

JOANNE MARTINOV, S. J.



PARISIIS

APUD CAROLUM TARANNE BIBLIOPOLAM,
viæ dictæ Cassette, 33.

1874

Juxta rarissima exemplaria ed. Viennensis an. 1733

1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions and activities. It emphasizes that proper record-keeping is essential for transparency and accountability, particularly in the context of public administration and financial management. The text notes that without reliable records, it is difficult to track expenditures, assess performance, and ensure that resources are used efficiently and effectively.


2. The second part of the document addresses the challenges associated with data collection and analysis. It highlights that gathering accurate and timely data can be a complex task, often requiring significant resources and expertise. The text discusses various methods for data collection, including surveys, interviews, and the use of digital tools, and notes that each method has its own strengths and limitations. Additionally, it stresses the importance of ensuring the quality and integrity of the data collected, as well as the need for appropriate statistical techniques to analyze the information.

3. The third part of the document focuses on the role of technology in improving data management and analysis. It discusses how modern software solutions and digital platforms can streamline data collection, storage, and processing, thereby reducing the risk of errors and increasing the efficiency of the process. The text also touches upon the importance of data security and privacy, particularly in light of increasing regulations and public concerns about the use of personal information. It suggests that organizations should invest in robust security measures and ensure that their data handling practices comply with relevant legal requirements.

4. The fourth part of the document discusses the importance of data-driven decision-making. It argues that organizations should leverage the insights gained from their data to inform strategic planning, operational improvements, and resource allocation. The text notes that data-driven decisions are more likely to be based on objective evidence and can lead to better outcomes than decisions based solely on intuition or anecdotal evidence. However, it also cautions that data should be used responsibly and that the potential for bias and misinterpretation should be carefully considered.

5. The fifth part of the document concludes by summarizing the key points discussed and emphasizing the need for a holistic approach to data management. It suggests that organizations should focus on building a strong data culture, where data is valued and used to drive positive change. The text also encourages ongoing learning and innovation in data management practices, as the field continues to evolve rapidly with advances in technology and data science.





BREVIS ENARRATIO HISTORICA

DE STATU

ECCLESIAE MOSCOVITICAE

AUCTORE

P. BERNARDO RIBERA

ORD. PRÆD.

EDITIO NOVA, EMENDATIOR ET AUCTIONIOR

Juxta rarissima exemplaria Viennensia anni 1733

CURANTE

JOANNE MARTINOV, S. J.



PARISIIS

APUD CAROLUM TARANNE BIBLIOPOLAM.

via dicta Cassette, 33.

1874

C 3310.5

UNIVERSITY
OF HARVARD
LIBRARY

Harvard University
Divinity Library
Riant Collection
Gift Soc. from Theol. Educ.
1882, 1883.

PRÆFATIO EDITORIS.

1. Quum *Enarratio historica*, quam lectoribus, harum rerum studiosis, iteratis typis mandatam propono, majoris cujusdam operis partem constituat, omnique præloquio in priore editione fuerit destituta, operæ pretium esse existimo, quædam præfari de libri hujus occasione, de auctore ejusque scriptis et doctrina, de modo tandem quo in nova hac editione usus sum : quæ omnia ex ordine percensebo.

I.

2. Historicas disciplinas, præsertim eas quæ ad præterita tempora imperii Moscovitici illustranda aliquid conferunt, ab hominibus litteratis nostræ ætatis mira sollertia excoli magnaue incrementa jam obtinuisse negabit nemo. Inveniuntur scilicet inter Russos non pauci qui in monumentis hujuscemodi, quæ in tenebriosis scriniis delitescebant, vel investigandis et in lucem proferendis, vel eruditis commentariis illustrandis peculiarem curam laudabiliter impendant; ea insuper lege sibi

proposita, ut studiis istis et conatibus ecclesiasticæ historiæ consulatur non minus quam profanæ, nec solum monumenta manu exarata e latebris eruantur, sed etiam opuscula olim edita typis iterum mandentur, quia vel rariora sunt vel aliena lingua ab extraneis conscripta, adeoque in vernaculam vertenda.

3. Jam vero quisnam est in ecclesiastica Russorum historia adeo peregrinus, ut nesciat permultos existere tractatus ad Ecclesiam eorum spectantes, qui inde a temporibus Petri I, id est, a sæculo XVII exeunte, tam a viris catholicis quam ab acatholicis conscripti sint? Hos inter non sane postremum locum obtinet *Enarratio historica* P. Bernardi Riberæ, ex Ordine Prædicatorum, theologiæ doctoris atque apud Ducem de Liria (Hispaniæ in Moscoviam legatum), missionarii apostolici et capellani. Est autem hæc *Enarratio* veluti breviarium quoddam, summam eorum complectens quæ ille vel propriis oculis in Ecclesia Moscovitica conspicatus est, vel a viris gravibus rerumque sacrarum peritissimis accepit, quibuscùm, dum per tres annos integros (1727-1730) moraretur Moscuzæ, frequentissimam habuit conversandi occasionem. Verum quæ in *Enarratione* traduntur in modum compendii, eadem longe fusiori calamo pertractantur in grandi volumine inscripto *Echo fidei*, ad cujus calcem ista Narratio, ad instar appendicis, adjecta est, et ad quam idem lectores sæpenumerò remittuntur.

4. Porro quod auctoris nostrì auctoritatem auget nec

parum commendat illud est, quod a promovenda ecclesiarum pace ac unione fuerit minime alienus. Ad cuius rei intelligentiam in menaeriam revocetur oportet tentamen illud celebre doctorum Sorbonnicorum, qui tempore Petri I sperabant fore, ut ejus ope ipsisque mediantibus ecclesia Russica cum Romana iterum uniretur, firma pace inter utramque stabilita. Quam in rem tractatum integrum eidem imperatori obtulerunt, festina manu conscriptum, in quo praecepta rationum momenta proposita sunt quibus optata ecclesiarum unio maxime suaderetur. Acceperunt Sorbonnici duplex responsum episcoporum Russiae, jussu imperatoris compositum, ea tamen arte ut spem unionis obtinendae praescinderet potius quam foveret. Atque ita infectae manebant res per multos annos, quam ecce inopinato affulsit nova spei lux.

Contigit nempe ut nobilissima quaedam matrona, Irene nomine, e principum Galitzin stirpe prognata, cujus maritus, Basilus Dolgoruki, legati munere tunc apud Batavos fungebatur, errores photianos ejuraverit in manibus Cernelii Barchman, pseudo-archiepiscopi Ultrajectensis (1725-1733), atque inter catholicos, an inter jansenistas ab eodem fuerit adnumerata. Haec quum in patriam esset reditura, hominemque inquireret qui et sibimet ipsi, utpote recenter conversae, auxilio spirituali esset, et liberorum instruendorum curam susciperet, oblatus ei fuit sacerdos quidam nomine Jubé, e numero *appellantium*, pagi Asinarii (vulgo dicti Asnières) parochum, quem Barch-

mano enixè commendaverant doctores Sorbonnici, agentes eum utrique muneri obeundo esse parem, immo ad ecclesiarum unionem obtinendam admodum aptum. Nec multo post, anno scilicet 1728, mense majo, iter Moscoviticum iniit Jubé, assumpto ficticio nomine *Lacour*, plurimamque operam posuit ut grave unionis negotium perficeret, at irritu conatu : quamvis enim nobilissima Irenes familia summo favore apud juvenem Imperatorem (1727-1730) gauderet, rerumque fere omnium potita, animo esset in catholicam religionem satis propenso, — quemadmodum et plures alii e proceribus utriusque status, — nihilominus tamen totum negotium illud incassum abiit, ita ut mortuo Petro II, non solum omnis unionis spes evanuerit, sed et persecutio contra quosvis catholicæ causæ fautores fuerit excitata. Quod autem negotium unionis in nihilum abierit, id mirabitur nemo, si secum perpendat, illud nec nomine Romani pontificis fuisse inceptum, nec omnino a rationibus politicis vacuum et immune.

Quæ quum ita se habeant, non inopportunam arbitramur esse novam opusculi Riberiani editionem, quin et viris patriæ historiæ studiosis fore confidimus acceptam.

5. Ad hæc accedit alia ratio, insignis operis raritas ; quæ tanta est ut ego quidem nonnisi duo exemplaria offenderim, alterum in bibliotheca universitatis Viennensis, alterum in bibliotheca J. B. Malou, ven. mem. episcopi

Brugensis, quod, dum hanc editionem prælo pararem, constanter præ manibus habui.

Qua occasione abstinere nequeo, quin publicas grates Ill. DD. Joanni Faict, antistiti Brugensi hodierno, rependam, pro eximia illa humanitate ac benevolentia qua me exemplari Brugensi non modo uti permisit, sed et quamdiu id opus fuerit, perampla donavit fruendi facultate. Jam ad auctorem opusculi gressum faciãmus.

II.

6. Vitam P. Bernardi Riberæ qualemcumque adumbranti mihi diu multumque investigandum fuit apud complures auctores, si quas mihi de viro notitias suppeditarent. In qua inquisitione quum frustra laborassem, ipsummet Riberam adire mecum constitui ejusque scripta diligentius perlustrare. Nec facti me poenituit : plura siquidem eisdem contineri intellexi minime spernenda; quæ simul collecta et in ordinem redacta auctoris imaginem referunt, non perfectam quidem, at quæ a vero non ablu-dat, eoque magis esse debeat grata quo aliorum fontium æque indubiorum inopia laboramus graviori.

Præcipuas vitæ suæ periodos delineavit ipsemet Riberæ in fronte prægrandis operis sui *Echo fidei* (de quo plura inferius), ubi leguntur sequentia : « Hanc fidei expositionem Barcinone didici; Catalauniæ, jussu regio, interpretatus fui; Hispaniæ, verbi Dei præco, etiam in regia urbe non

silui; sub legati Hispaniæ, Excell. Domini Ducis de Liria, umbra apud Ruthenos propugnavi. » Percurramus singula.

Et primum quidem, natalem Riberæ urbem satis indicat cognomen Barcinonensis, quod nomini ejus annexum occurrere solet; annum tamen quo lucem aspexerit, dicere non valeo. — Jam si scutum gentilitium inspicias, videbis ibi nomini Riberæ sociari *rivulum*, bifariam divisum, addita hac superscriptione : *Nunquam retrorsum* : quo emblemate non inepte repræsentatur nativa indoles viri, in adversis infracti, in prosperis se extollere nescii, in fide doctrinaque profundenda indefessi. Sane, quum *Echo fidei* novatoribus summopere displicuisset, immo catholicis quibusdam hominibus parum probaretur, iis nimirum qui *fucata lenitatis blandientes amant circumscriptiōnes*, se Athanasii vestigia pressurum esse ait, qui nec teritus erat a Constante, nec fractus a Juliano, nec victus a Valente, nec conturbatus a corruptis synodis; pergitque in hæc verba : « Alium qui me velit, naturam mutet. Talem (ut sum) qui desiderat, oblatam me sibi ex nomine audiat :

Ductilis — arva peto; refluxus — neque vi neque motu.

Extollor pressus, ducar ut utilius. —

Quibus verbis dum alloquitur lectorem, sinceram sui ipsius imaginem eidem exhibet Ribera, in nomine quodammodo adumbratam.

Litterarum rudimenta didicisse videtur in eadem civitate Barcinonensi; schola tamen, quam ei puero præparaverat patria, fuit certo certius alia quam Patrum Societatis Jesu (1). Juvenis vix annos quindecim natus, Ordini Prædicatorum nomen dedit, sacrasque disciplinas ibidem edoctus, aliis deinceps tradidit tum in scholis publicis, tum e sacro pulpito, Angelici Doctoris placita defendere semper ac propugnare paratissimus, interposita etiam sacramenti fide (Loc. cit.). Hujus *Summam* theologiam interpretatus est in Universitate Cervariensi per annos tres, licet non Cervariensis, sed Barcinonensis moderator in regiis, quas acceperat, litteris nominatus. Est autem Cervaria Catalauniæ urbs, in quam Barcinone translata fuerat academia anno 1717, ad politicas vitandas turbas, quibus antiqua Faventia (ita namque Barcinonem vocabant olim Romani) erat temporibus illis sæpe graviterque obnoxia.

Turbationum istarum testem exstitisse P. Riberam conicere licet vel ex iis, quæ Barcinone anno 1715 accidisse narrat; oculatum nempe se fuisse testem capitalis pœnæ in quemdam subdiaconum latæ, nomine Raymundum Moga; qui publice strangulatus est, postquam tribus diebus antea fuerat a proprio Urgellensis sedis episcopo rite degradatus.

7. Antequam in Russiam proficisceretur, Hispaniam

(1) *Resp. Antapolog.*, sect. I, n. 22.

peragravit Ribera fere integram, varia infortunii discrimina, ut ipse testatur, passus: ex cathedra tum scholastica tum evangelica pulsus, in requirenda justitia non auditus; eoque magis a fortuna desertus, quo pluribus amicis præditus, denique carissima sibi patria exul. (*Respons. sect. 1, n. 22.*) Tribulationum istarum quænam fuerit causa, conjiciendo potius quam affirmando assequi fas est ex modo dicendis.

Anno 1723, concionem sacram habuit Ribera coram senatu regio Barcinonensi: in qua admodum dura locutus est contra pseudopoliticos et schola famosi illius Machiavelli, qui *hominis animam in morte sicut brutorum alias cadere* docuerat; quorum pessimam doctrinam S. Hieronymus descripserat his verbis: « Monstruosa res est, speciem habere columbinam et mentem caninam, professionem ovinam et intentionem lupinam, intus esse Neronem et foris apparere Catonem. » (Ep. LIX.) Tales homines comparabat Ribera simiis et pavis, quia simiarum instar omnia fingunt et imitantur, pavorum autem more auratis vestibibus distincti incedunt (*Echo fid. part. 1, pag. 42*).

Verum non solum in pseudopoliticos, sed in alios etiam homines cujusvis status aut conditionis concionator invehbat aequo audacius, nullorum vitiis parcens. Fatetur namque se multa mala perpessum propter Alvarem Pelagium, Hispanum, cujus acerbam in milites protulerat aliquando sententiam. Erat iste sua ætate, sc. sæc. XIV, magnæ auctoritatis vir, ex pœnitentiario papæ Silvensis

in Lusitania episcopus, scripsitque *de Planctu Ecclesiae libros duos*, Ulmæ primum an. 1474 editos, et non semel dein recusus; in quibus nulli statui indulgens cunctorum planxit scelera, ecclesiastico ordine minime excepto.

His apostolici zeli excessibus si factiones politicæ addantur, quibus toto fere tempore Philippi V (1700-1746) Catalaunia ad partes Austriæ propensa dilacerabatur, facile intelligitur potuisse Riberam in scopulos impingere et odia contra se excitare.

8. Dum ita mediis in tribulationibus versaretur, factum est, ut a duce de Liria, qui legati in Moscoviam munus erat obiturus omnium primus, in socium itineris, insperato Providentiæ favore, assumeretur P. Ribera, capellani legationis et missionarii apostolici titulo decorandus.

Ad iter Moscoviticum ineundum accinxit se Ribera anno 1726; Florentiaque salutata, transivit in Austriam et inde perrexit in Germaniam, sibi, ut modo dicitur, parum gratam.

Ubi primam Silesiæ superioris urbem *Olau* dictam ingressus est, templum adiens *pastorem* et duos quos vocabant diaconos, a sepultura solemniter redeuntes, ex habitu et ritu acatholicos agnoscens, cujusnam essent religionis sciscitatus est; acceptaque responsione, se Evangelicos esse, risum continere non potuit, eo quod nomen istud Evangelicorum antea audiverat nunquam.

« Novi, reposuit, vos non Mahometanos esse, nec ido-

lolas; at cum nullus christianus sit qui Evangelio non militet, scire velim equidem, sub qua ejusve expositione creditis Evangelio?

◁ Beati Lutheri, arroganter addidera.

◁ Væ! replicavit; ergo non habetis Evangelium Ecclesie, quæ damnat hujus infelicis (hominis) doctrinam, quia Evangelium corruerit (*Echo fid.* part. I, 590). ▷

Stetini, in Pomerania, cum duobus *pastoribus* lutheranis disputationem iniit Ribera de B. V. Maria, quam impii illi deblaterabant peccasse actualiter idque non semel, ex curiositate nempe, ex præsumptione et ex vana gloria. Singularium horum Lutheri apostolorum (i. e. Christi apostatarum) relationem, qua non tantum duodecim tribus filiorum Israel, aut solos Angelos, sed Angelorum reginam judicare præsumperant, merito correpturus: ◁ Miror, respondit fere stupens, quod et Christum, Pilati vobis arrogantes tribunal, non judicetis, decernatisque (sicut Calvinus *desperantem* in amoris thalamo crucifixum), *mentitum* in cruce, cathedra veritatis, cum Joanni matrem Mariam; istiusque vicissim filium Joannem protulerit; ut etiam Deus — Homo rursum crucifigendus vestro iudicio sisti debeat (*Echo fid.* t. I, 253). ▷

Hæc et similia facta, quantumvis parvi momenti esse videantur, et indolem auctoris veritatis jugiter studiosi produunt, simul et stylum ejus modumque scribendi faciunt palam.

9. Anno 1727 die 28 novembris, advexit Ribera Petro-

burgum, non ita pridem conditum; unde mense februario anni proxime sequentis perrexit Mosquam, quo sese jam transtulerat imperatoris aula. Imperii gubernacula obtinebat tunc Petrus II, a die XXVII maii ejusdem anni. De hoc principe sequentia tradit Ribera in *Tabula chronologica*, p. 351: « Petrus II Alexiowitz ex principe Alexio in carcere mortuo Petri I nepos; impuber adhuc coronatus, me præsente, Moscuæ; complete biennio, me vidente sepultus. » Obiit Petrus II die 29 jan. 1730, ætatis annum 15^m vix egressus, succedente Anna Joannowna (1730-1740).

Ut Moscuam cum legato Hispaniæ advenit Ribera, continuo, sicuti virum religiosum decebat, rebus Ecclesiæ Russicæ indagandis operam dedit, atque tractatum circa *Catecheticam confessionem* componere coepit, primorum Ecclesiæ prælatorum familiaritate sibi concessa eorumque monitis tum viva voce tum scripto acceptis non parum adjutus. Horum vero necessitudinem inire potuit eo facilius, quod Dux de Liria, apud quem sacris domesticis ministrabat, magno apud monarcham juvenem ejusque consiliarios frueretur favore, adeoque proceribus esset perquam acceptus et honoratus, ut nihil dicatur de publicis solemnitatibus ad quas liberrimus Riberae patebat accessus. Inter viros ecclesiasticos peculiari necessitudine sibi devinxit archimandritam Euthymium Koletti, origine græcum, olimque Alexii Petrowicij præceptorem. Sæpissime quoque in scriptis suis meminit Theophili Krolik archimandritæ, quem jam monebat, jam interrogabat,

atque etiam arguebat. Noverat quoque Theophylactum Lopatinski, episcopum Tverensem, quem summis laudibus merito extollit, dum eum vocat *inter episcopos sapientissimum, in scholis subtilissimum, in synodo probatissimum iudicem, in tota Russia prælatum amabilissimum* (*Resp. Antapolog.* sect. 1, n. 19). Theophanem, archiep. Novogrodensem, synodi Petroburgensis vice-præsidentem et vix non omnium rerum ecclesiasticarum moderatorem, nominat quidem Ribera persæpe, in eo laudando tamen ad modum parcus est. Nec immerito: hanc enim provinciam potiori jure demandatam sibi voluerunt protestantes, quippe quorum doctrinis adeo imbutus esset ille Theophanes, ut alter Cyrillus Lucaris non sane immerito possit nuncupari; quem propterea ad episcopatus honores admittere renuerat Stephanus Javorski, olim Ecclesiæ exarcha, nec consensum præbuit nisi invitus: quod lugendorum inter utrumque prælatum eorumque assecclas odiorum seminarium fuit. Alii nempe erant a catholica religione minime aversi et ad unionem cum S. Sede ineundam proni; alii, contra, ad castra protestantium transire longe paratiores quam Romani pontificis agnoscere auctoritatem.

III.

10. Præfatam tractationem de Confessione catechetica dum tacite nihilque dubius elaboraret P. Ribera, inopinato debuit, amicorum precibus compulsus, ad alia pro-

perare, priore opere infecto. Colluctandum nempe fuit cum Protestantium secta, quæ altas jam in Russia miserat radices. Confictationis ansam præbuit eidem *Petra fidei*, quam in defensionem ecclesiæ græco-rossicæ adversus novatorum fraudes conscripserat Stephanus Javorski, modo laudatus metropolita Riazanensis et throni patriarchalis exarcha, anno 1722 vita defunctus. Opus magnæ auctoritatis, quod Ribera quidem vocat *catholicissimum*, Theophylactus vero, Tverensis episcopus, commendat ut *librum utilissimum summaque rerum divinarum sapientia compositum*, qui propterea evasit Protestantibus summo pere ingratum fuitque ab ipsis continuo impugnatus.

Prodiit hoc volumen, slavonico idiomate conscriptum anno 1728, curante et approbante præfato Theophylacto, habitaque facultate a supremo Imperii Consilio. Vix autem lucem aspexit Javorskii liber, cum ecce anno proxime sequenti peracri judicio submittitur in *Actis Eruditorum Lipsiensibus*, ubi simul monebatur lector illud brevi a Francisco Buddeo, in peculiari scripto, ad exactiorem trutinam fore revocandum. Re quidem vera, non multo post vulgata fuit Jenæ *Epistola apologetica pro Ecclesia lutherana contra calumnias et obtreccionem* Stephani Javorskii, ad amicum Moscuæ degentem scripta a Joan. Franc. Buddeo (an. 1729). Hanc ubi accepit P. Ribera perlegitque, illico se accinxit ad conscribendum *Responsum antapologeticum Ecclesiæ catholicæ contra calumniosas blasphemias J. Fr. Buddei*

nomine evulgatas in orthodoxos Latinos et Græcos, quo Petræ fidei a Stephano Javorskio ad evertendum Lutheri pantheon jactæ repetitur ictus. Opusculum hoc, nostra ætate rarissimum, dicatum est a Ribera Annæ imperatrici, ita jubente Duce de Liria; quia vero non nisi triduo ante discessum auctoris Moscuæ fuerat completum (discessit autem die 28 novembr. an. 1730), propterea prælis mandatum est Viennæ anno 1731 ineunte cum approbatione theologorum Ordinis et Facultatis theologiæ. Quorum testimonio, clarissimus auctor non solum opusculum suum *solide* elaboravit, sed et « *heterodoxorum tela, Doctoris angelici exemplo, tam feliciter quam fortiter eludit et veluti fidelis Domini canis Ecclesiam catholicam vigilanter defendit.* »

11. Oppositum judicium pronunciavit Theophanes Novgorodensis, in quadam scriptione ad Supremum Consilium destinata; in qua non tam rationibus convellit auctorem, quam convitiis cumulat, ut manifestum sit, non Buddeum, sed ipsummet Theophanem, sub Buddei nomine latentem, a defensore *Petræ fidei* fuisse tactum. Unum tamen est in quo veritatem non læsit Theophanes, quod scilicet Riberae latinatam incomptam dicat et tædium moventem.

Majorem difficultatem pariunt ea quæ in *Breviario controversiarum cum Ecclesia Græca et Ruthenica agitarum* tradit Zeltnerus, si modo fides ei adhibenda sit. Testatur ille, « libellum Riberae, anno 1733 die 14 maji,

ab Inquisitionis collegio Barcinonensi, tanquam suspectum et periculosum damnatum fuisse; deprecationemque publicam in lucem Viennæ editam esse, qua mitius iudicium exoraret Ribera; utrum autem deprecatio ista aliquid profecerit, se quidem ignorare. » (Pag. 26, edit. 1736.) Addit Zeltnerus, Riberam novo pacificationis studio grandi volumine, cui titulus *Echo fidei* præfixus est, anno 1734 (immo 1733) idem vadum tentasse. — Unde colligere pronum est prædictam *deprecationem* revera aliquid profecisse, quamvis nec ita quidem in claro posita sit damnationis ejus causa; quæ non alia fuisse mihi videtur, quam nimius disciplinæ catholicæ zelus quo abreptus Ribera, heterodoxos quosvis, « veluti fidelis Domini canis, » innumeris morsibus dilaceravit.

12. Quandoquidem dux de Liria, Hispaniæ legatus, regiæ Stuardorum familiæ esset sanguine junctus et Jacobum III qui jura sua in Angliæ coronam vindicabat, pro legitimo haberet throni hærede, propterea anniversarium ejus diem solemniter statuit celebrare. Die itaque 20 julii, S. Jacobo Apostolo sacra, anno 1729, concionem dixit P. Ribera, quam mox typis mandavit sequenti titulo præfixo: « *Nomenclatura Boenergica, sive oratio panegyrica, quam in festo S. Jacobi Majoris Apostoli, celebrato per Excell. D. Jacobum Stuardum Ducem de Liria et Xerica etc., legatum Catholici regis Hispaniarum in Russiam, in templo catholicorum Mosquæ dixit et Sac. Reg. Maj. Jacobo III, Magnæ Britanniæ Regi,*

*defensori fidei etc. offert R. P. Fr. Bern. Ribera Bar-
chinonensis, ex Ord. Præd. S. Thelog. Doctor. et Regius
profess., Missionar. Apostol. apud eundem D. Legatum
etc. (in-4°).* » Etsi autem *Nomenclatura ista Boenergica*
typis mandata fuerit Petropoli, jubente præside Acade-
miæ, Laurentio Blumentrost, pretiumque scutorum qua-
draginta pro 100 exemplaribus acceperit Daniel Schuma-
cher bibliothecarius, in vulgus tamen nunquam ibi prodiit;
sed omnia exemplaria fuerunt a gubernio detenta, duobus
tantummodo exceptis, quæ clandestine obtinuerat sibi
Ribera a typographo. Quibus inspectis legit stupens con-
cionem impressam esse non Petropoli, nec typis acade-
miæ, sed *Romæ, cum permissu superiorum, apud hæ-
redes Francisci Morine'li*. Substitutionis hujus auctor
fuisse dicitur Mullerus, olim celeberrimus historiographus,
tunc autem in Academia studens, cui editionis cura fue-
rat commissa. Hic nempe ubi perlegit orationem, eamque
precibus pro Jacobo III Stuardo fundendis auctam ac ei-
dem principi dicatam esse intellexit, omnino supprimen-
dum esse censuit verum impressionis locum, cui alium
fictum substituit, proprio Marte an aliorum jussu; hoc
autem se fecisse dicebat, ut præcaverentur querimoniæ
Anglorum, paci que inter utramque nationem consuleretur.
Re intellecta, statuit gubernium detinenda esse omnia
exemplaria ne in vulgus exirent. Hoc tamen interdictum
minime impedivit, quominus rem totam redderet publi-
cam Ribera, orationemque suam iterato edendam cura-

ret Varsaviæ, apposita sequenti inscriptione : *Petropoli, jussu D. Blumentrost, præsidis Academiæ, cura autem D. Schumacher, bibliothecarii*. Factum commemorat Riberæ in *Responso Antapologetico* (pag. 145), tacitoque nomine *potentioris proceris* cujus ope exemplaria fuerant detenta, sequentia addit : « *Nec mirandum (Lutherani siquidem omnes sunt) de hac eorundem justitia et fide etiam civili; hoc sentiendum quod tales alat et honoret viros monarchia Ruthena!* »

Nomine *proceris potentioris* venire comitem Osterman, colligitur ex epistola quadam Bilfingeri ad Schumacherum data, in qua parari a se dicebat refutationem *Responsi Antapologetici*, nec non et calumniarum prædicto proceri totique academiæ illatarum. Verum nihil ejusmodi in lucem protulit Bilfingerus ; nam *discursus de pæna hæreticorum noviter ab Ecclesia se avellentium*, quem anno 1735 juris publici fecit Tubingæ, nullam Riberæ ingerit mentionem, in eoque versatur totus, ut Stephani Javorskii doctrinam, ultimo capite *Petræ fidei* contentam, convellat probetque esse falsam. (Cf. *Pekarski, Hist. Acad. Petropol.* I, 91).

13. Jam de libro, unde præsens *Enarratio* excerpta est, aliquid dicamus. Constat ille duobus tomis, titulumque sequentem præfert : *Echo fidei, ab orientali Ecclesia Moskovia personans, Romanam vocem vix non ingemigans, arctoæ hydræ strepitus superans, photiano licet vinclo balbutiens, angelicæ theologiæ pharmaco conva-*

*lescens, heterodoxia repurgata Ecclesiam adunans. Opus theologicum, primam Catechismi Romani partem subsecans, symboli articulos exponens, Historiam et Chronologiam sacro-politicam Moskoviae adjungens. Dicitur S. R. E. Cardinali Ludovico Belluga de Moncada, Hispaniarum regni protectori, regioque apud S. Sedem ministro etc. a Fr. Bernardo Ribera, Barcinonensi, Ord. Præd. etc... Viennæ Austriæ, typis Joan. Baptistæ Schilgen (in 4^o vol. I. pag. IV, 599; vol. II, pag. II, 363). Explicit *Echo fidei* pag. 272 quam sequitur *Brevis Enarratio Historica* (pag. 272-329), accedente *Tabula chronologica sacro-politica* (a pag. 329 ad finem).*

Scopum quem sibi proposuerat auctor, declaravit ipsemet, lectorem monens his verbis : « Finem operis insinuat titulus et uberius explicat initio (libri) præludium, procurat volumen integrum : ut si, permittente Deo, ad unitatem *Echo* cum *Voce* catholica non redeat, lutheranam saltem confusionem in Moscovia superbientem eludat. » Per *vocem* intelligenda est doctrina Ecclesiæ Romanæ, per *Echom* autem *confessio orthodoxa fidei Ecclesiæ Orientalis*, a Petro Mogila, metropolitano Kioviensi, condita atque ab Orientis patriarchis approbata annis 1643 et 1662. Ad cujus normam, suum quoque opus in quæstiones divisit Ribera, quarum 71 priores pertractat volumine primo.

Quid porro de hac elucubratione sentiendum sit, docemur a theologis Ordinis Prædicatorum et facultatis Vien-

nensis a quibus fuerat serio examinatum, antequam prælo committeretur. Testantur illi librum esse non *minus laboriose quam docte concinnatum*, ejusque auctorem de consonantia et dissonantia Orientis et Occidentis in articulis fidei et symbolo contentis *clarissime et solidissime* tractare, doctrina ex Angelico Doctore potissimum desumpta. »

« In hoc bipartito opere, pergunt censores, clarissimus Auctor pro rei quam tractat gravitate et dignitate, veritates fidei orthodoxæ contra antiquorum et recentiorum heterodoxorum errores adeo solide propugnat, adeoque inculenter declarat, ut de eo cum magno Parisiorum cancellario Gersone (lib. de *Laudæ script.* cap. V) dici queat: *Hic scriptor Ecclesiam dicit, Ecclesiam armat, Ecclesiam custodit.* Illius igitur, ut cum Cassiodoro loquamur, *felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare; tot enim vulnera satanas accepit, quot (hic) antiquarius Domini verba describit.* (De *divinis lectionib.* cap. XXX). »

Cæterum laudabilissimus hic tractatus non nisi partem, præcipuam utique, exhibet majoris operis, quod animo conceperat quidem Ribera, opere tamen perficere non valuit. Nempe in votis erat ipsi præter *Echon fidei* in lucem edere *Echon religionis*, in septem sacramentorum sermonibus, et *Echon orationis et operis*, « ut iis qui po-

pulos plene corrupturi erant, integri catechismi catholici opponeretur antidotum. »

IV.

14. **H**ic ita generatim dictis, non abs re erit paucis declarare quæ P. Ribera docuerit de Romano Pontifice ejusque juribus ac prærogativis, quidve senserit de Ecclesiæ hostibus ac præsertim de Jansenii asseclis ac eorum parentibus Lutheranis.

Romani Pontificis jura in cunctas Ecclesias, ejus primatum ac in docendo infallibilitatem manifestissimis verbis declarat Ribera fortiterque propugnat in scriptis suis passim, quemadmodum id testatur ultima Appendix ad calcem Enarrationis adjecta, ut nihil dicatur de dominio temporali in cujus gratiam duplicem instituit fusamque dissertationem. Merito potuit ille in præfatione *Echo fidei* de se scribere: « Ego veram fidem curo sustineri; divina verba opto servari; pontificia jura spiritualia a dubiis purgo; temporaliaque vix non demonstro. Apostolicam vocem e Romano centro emissam, Hispaniæ fideliter auditam, calloso Moscoviæ photianismo mutilam, exotico Novatorum idiotismo non confundendam, Ruthenis et Græcis repeto. »

Fidem utriusque Ecclesiæ Romanæ et Græcæ semper unam eandemque fuisse, non obstante rituum ac cæremoniarum diversitate, Græcosque Romano Pontifici, uti

Ecclesiæ capiti obsequium præstitisse cum Allatio, Arcudio, Goario docuere alii bene multi. Nec aliter sentiebat Ribera, immo forsitan æquo longius progressus est. Non solum enim ab utraque Ecclesia idem proponi ad credendum docet, sed differentias omnes quibus Græci separantur a Latinis tam parvi pendit, ut *discrepatiunculas* esse dicat, defendas quidem, at quæ facillimè eliminarentur, si bono animo utrinque tractaretur; vel *nubeculas*, a sole justitiæ mox dissipandas.

Quod majus est, Ecclesiam Moscoviticam tractat benigne adeo, ut eam a schismate formali ac publico censeat esse pene immunem, eo quod nunquam *synodice* a Romana Ecclesia secesserit, aut aliquid contra Romanam Sedem *synodice* definierit, sed, ut ipsius verbis utar, *abstractivam independentiam* servaverit, quam patriarchatus orientales canonicè stabiliti, secundum antiqua Ecclesiæ jura, immunem ab omni schismatis nota tuebantur. (*Resp. Antapolog.* sect. I, n° 11.)

15. De Societate nostra quid senserit P. Ribera, quoque animo in eam fuerit propensus, faciunt palam ea quæ scripsit adversus Buddeum, qui Stephano Javorskio verterat probro quod ille doctrinam suam a Patribus Societatis Jesu esset mutuatus.

• In sacerrimum Jesuiticæ Societatis cœtum, religiosissimumque ordinem debacchatus, putat apologista (Buddeus) se satisfacisse Javorskio; illiusque studium erga Romanam Ecclesiam, illosque qui *præcipuam hujus par-*

tem constituunt » Jesuitarum Societati adscriptos, demonstratum a se scribit. Gloriosissimam hanc Societatem numquam non novi; sed ex quo hæreticorum nostri temporis tum scripturas vidisse, tum audisse in eam rabidas horum voces mihi contigit, venerabiliorem probavi. Præcipuam Romanæ Ecclesiæ partem (ut ais, mi Apologista) sacra Jesu Societas non constituit; sed inter cœtus religiosos nec infimos Ecclesiam sicut cæteri ordines exornat. Hanc, ut sect. 1, dixi (1), Lutheri ætate ortam et ad hunc finem, quid miraris, quod in evertendis vestris dogmatibus et scriptoribus et missionariis indefessa, in ruinam vestrorum errorum adlaboret indeque clarescat? Si cum eis clamatis qui de Jesu conquesti dicebant ei : *Venisti huc ante tempus torquere nos* (Matth. VIII, 29), qua pœna digni sitis, data in eos a Christo declarat sententia. Fallitur certe studium vestrum in Societatem debellandam : impossibile hoc tentantes scitote, quod pro

(1) Dixit nimirum Ribera, loco cit. n° 20 : « Gloriandum (esse) huic (Societati), quod Ecclesiæ dogmatum quasi tutrix futura, Lutheranis cœva, paratum fuerit a Deo Ecclesiæ pharmacum, unde viperinum spumabat venenum, novusque dicatur plantatus in latina Ecclesia hortulus, unde senticosum segregabatur vepretum. Constans enim fuit omnium sensus, etiam pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium et institutam ab eo Societatem objecisse (Brev. Prædic. in offic. S. Ignat.). Sed gloria hac celebres jesuitas cæteri religiosi non fatebimur unicos : nam ex singulis numerabiles erunt qui scriptis in hæreticos decertarunt, nec novum est Lutheranis a S. P. N. Dominico Guzmano hæredium Prædicatorum Ordinis esse : *capere vulpes has quæ demoliuntur vineas, etc.*

Christi fide tuenda, si hi tacuerint (Jesu socii), lapides clamabunt. Quod ut noscatis verum, ubi Jesuitæ in Russia desunt, quando conamini hanc seducere, ultra *Petram fidei* quæ pro Javorskio loquitur, clamat Dominicanus hic, paulo æstimatiôr *lapillulo*, quem lusura divina Sapientia (sicut ludit in orbe terrarum) jecit in Russiam. Pudeat cunctos vos calumnias apud ignaros confingere; plusque te, apologista, qui ex Romanæ Ecclesiæ addictis, viris doctis et egregiis, ostensurum te ais, jesuitarum *dogmata* omnem vitæ christianæ rationem evertentia; unde prodis (eum) cujus nomen ipse tu nescis; quem ipse jansenistam fassus, teneris a Romana Ecclesia novisse proscriptum. Æque tu ac ille stupidus; immo tu amplius qui, celante illo proprium, nomen tuum præfixeris illius ineptiis... » Ita Ribera, in cujus scriptis quoties de Societate Jesu versatur sermo, equidem præter laudes aliud offendi nihil.

16. Jansenistas, contra, aversatus est Ribera non minus ac Calvinistas. « Jansenius, ait, et Jansenistæ, contra libertatem pugnantes *Semi-Calvinistæ* ostenduntur, cum libertatem et meritum non negantes contra Calvinum, illam a *coactione* tantum, minime (vero) a necessitate requiri concedunt; sicque juxta Calvinum ducitur creatura ad opera et gloriam, sicut brutum ligatum ad silvam: quo modo *coactum* conducitur; juxta Jansenium autem, sicut brutum solutum ostensa sibi esca inductum: quomodo *sponste* et sine coactione allicitur, etsi necessitate naturæ et sine rationali arbitrio operetur. Jansenianam

ergo doctrinam æque ac Calvinianam proscribit Augustiniana-Thomistica catholica (*Ech. fid.* part. I, 120).

Alias dicit Ribera confundi Calvinistarum et Jansenistarum errores circa gratiam, in Deumque esse blasphemus quem peccati faciunt auctorem (*ibid.* p. 152, n° 3). Quæstione vero XLV, p. 275, profligat *Quesnellianos* et *Appellantes* quos vocat nuperrimos, Goteschalco protoparente, sæc. XII hæretico, novissime exortos.

At multo acrius impugnantur Protestantes cujusvis coloris aut sectæ, quos exagitare nunquam cessat Ribera, quemadmodum id patet jam ex dictis hactenus et abunde testantur ea quæ in præsentis opusculo passim occurrunt legenda.

Quæ omnia ea intentione heic percensita sunt, ut unusquisque de quæstione superius allata iudicium ferat, scilicet an Riberam inter et Jubeum necessitudo potuerit intervenire. Equidem puto, chaos magnam intercessisse inter utrumque, tantum abest ut in gente Moscovitarum ad gremium Ecclesiæ catholicæ reducenda viribus laboraverint unitis. Illud insuper notandum est, Jubei nomen alto silentio premi tum in scriptis Riberæ, tum in *Commentariis* Ducis de Liria, quem tamen secretum commercium cum jansenista gallo habuisse aliunde constat.

V.

17. Moscuae dum moraretur, frustra tentavit Ribera abusum tollere qui in catholicorum templo invaluerat: solebat scilicet ibi, toto tempore missae, solemniter duci chorus vulgares cantilenas decantans; nec unquam inducere valuit missionarios, *germanice cuncta complentes*, ut alternatim saltem in diebus festis integra caneretur a se et aliis chororum ducturis missa latina, quemadmodum id fiebat Petropoli, juxta praescripta Ecclesiae Romanae, et desiderabant plures catholici ex Italia, Gallia, Polonia, Hispania, Belgio, etc. morantes Moscuae.

Praxim illam ideo corrigendam censuit Ribera, « quia populus christianus, aiebat, unus est, licet natio multiplex; unde oratio communis Ecclesiae eadem juste praescribitur cunctis Latinis, etsi verti eam in linguas diversas juste concedatur aliquibus, sicut graecae liturgiae eadem sunt versae in slavonicam et alias linguas. »

Non quod ritum in lingua vulgari perfici inutile diceret; immo accedente Ecclesiae approbatione (ut *laudent Dominum omnes gentes*, sicut aiebat Joannes VIII, id concedens Moravis), nihil sacrae fidei vel doctrinae obstare fatebatur, sive missa in eadem lingua slavonica caneretur, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinae novi et veteris Testamenti *bene translatae* et interpretatae legerentur. Nec negabat cantilenas plures germanicas devotissimas esse, verbi gratia illam dictam *In dulci*

jubilo, in Nativitate Domini cani solitam a Germaniæ populo etiam catholico. « Sed res eo devenit, ut hæretici præter Davidicos psalmos, germanice a Lutheranis, gallicæ a Calvinistis rythmice nec juste redditos, solis hisce cantiunculis publicos ritus complerent, orationibus Ecclesiæ rejectis; immo et catholici nonnulli, eisdem plus justo usi, rituali romano in quibusdam locis fere valedixerint, nedum mixtis, sed solemnem in tota missa romana chororum ducentes vulgaribus cantilenis. »

« Quasi vero Numini lingua omnis præter ubique popularem esset exotica, verbaque prophetarum et apostolorum sine rythmicis interpretibus injucunda.

« Prædictam porro cantilenam *In dulci jubilo* eum in finem compositam tradunt Centuriones, ut sensim viam ad cantiones mere germanicas introducendas muniret, et hac ratione vela ventis faceret. » (*Echo fid.*, p. I, 582.)

Simile quid usurpari videmus nostra quoque ætate in provinciis Poloniæ antiquis, ubi passim jam intruditur in ecclesias catholicas lingua vernacula Russorum, quo facilius ad eorum schisma pertrahatur populus ruthenus: qua de re alibi a me fuse tractatum est (1).

Diximus supra, non paucos existisse Moscæ catholicos e variis nationibus oriundos. In horum gratiam ut posset episcopatus ibidem institui serie conatus est Dux de Liria, scripsitque ea de re tum Romam tum Matritum, enixe commendans P. Riberam, quem et episcopalibus in-

(1) *De la langue russe dans le culte catholique*, Lyon 1874.

signibus esse dignum et catholicis Moscuensibus fore acceptum asserebat; obtinere tamen petita non petuit.

18. In Russia moratus est P. Ribera integro triennio, a die 23 novembr. anni 1727 ad 25 novembr. anni 1730, quo Mosca discessit una cum Duce de Liria. Visitata Varsavia, devenit Wratislaviam in Silesia, die 20 januarii anno 1731. « Casu accidit (narrantem refero Riberam), ut Prædicatorum monasterium a prælato benedicendus adiens, ad januas magni templi S. Mariæ Magdalenzæ dicati, nunc Lutheranis in usu, sistens, intus contra morem eorundem latine cani audierim. Ingressus itaque percepi cantu Gregoriano *officii parvi B. Mariæ Virginis* commune invitatorium ab illis canonicis, in choro, ecclesiasticis indutis vestibus, incipi, matutinumque totum, psalmis tribus cum antiphona, lectione, cantico *Te Deum*, ad Laudes (psalmis omissis), cantico Zachariæ, antiphona et oratione, qua nos in vigilia Nativitatis D. utimur, terminatum audire perstiti. Subsecuta liturgia lutherana verum fecit quod *non est* (B. Virgini) *speciosa laus in ore peccatoris* (Eccli. XV, 9.); unde motivum quare *labiis honoraretur B. Virgo et glorificaretur* ab iis *quorum cor* (immo et lingua et calamus) *longe est ab ipsa* (Isai. XXIX, 13), sciscitatus, audivi: ne canonici privarentur stipendio, dispositione pii viri, antequam Lutherus conciperetur, proventus perpetuos officium illud recitaturis destinantis recipiendo.

• Nec solum in templo illo, sed in alio quoque extra

urbis muros posito pro recitando officio eleemosyna fuerat designata; cum autem terminando inter Lutheranos et Catholicos Germaniæ bello plura et majora intra eam civitatem templa majori hæreticorum cum integro magistratu numero fuerint cedenda: pro missis perpetuo in præfato S. Mariæ Magdalensæ templo celebrandis destinabatur stipendium; sicut templo alteri, quod catholicis relictum erat, æquum pro Officio B. Virginis recitando. Hæsitantes itaque inter Scyllam et Charybdim Lutherani, quo titulo annuis gauderent ecclesiæ redditibus, ambigebant: impares hinc missarum celebrationi, damnantes inde B. Virginis cultum, undequaque appetentes proventuram pecuniam. Permutato igitur onere, missas alteri templo committi, sibi que Officium B. Mariæ canendum eligunt; et quos a cultu B. Mariæ Virginis Lutheri consilium retrahebat, potentiori vi, *auri sacra fames* ad eundem induxit. Velint nolint siquidem, religiosus est cultus, sollemnis illa salutatio angelica *Ave*, qua incipitur ad invitandum populum ad Virginis laudes, etsi ab ejusdem Officio cuncta fere ad invocationem ejusdem pertinentia expunxerint: colitur siquidem religiose in officio, etsi non invocetur. — Si autem Wratislavienses Lutherani de solemnibus B. Virginis cultu convicti, mutilato ipsius Officio, renuant eam invocare, Norimbergenses *intermistæ* minori erga Lutherum scrupulo, ne proventus amittant, fatebuntur Deiparæ nec cultum nec invocationem amittere. Audio siquidem a (viris) fide dignis, qui audie-

rint cani in eorum templo, sicut ante Lutherum, juxta tempora ritu Romano præscripta, litanias Lauretaneas, *Alma Redemptoris mater, Ave Regina cælorum, Regina cæli lætare*. Si in his invocatio negatur, nec vocum sensus percipitur... Id Lutherus improbat; sed aurum apud suos Luthero potentius: quod, ne amittatur, si non sperendas servat inter Lutheranos catholicismi reliquias, quid non efficeret de novo oblatum, ut reliquos iidem acceptarent ritus catholicos? Nullum canonicorum aut opinionum similium (fore) credo, qui oblata sibi ecclesiasticorum reddituum copia, aurea methamorphosi, ex hœdilis Lutherani pastore in ovilis catholici templo non fieret ostiarius. » (*Echo fid.* I, 256.)

Viennæ ultimam manum imposuit Ribera grandiori operi suo *Echo fidei* inscripto, quod inchoaverat Moscuzæ; an autem aliud aliquod scriptum reliquerit, et quid tandem Moscua redux gesserit, hæc et alia, non secus ac postremum vitæ ejus annum, penitus nos latere ingenuè fatemur.

VI.

19. Reliquum est, ut quid in nova hac editione a nobis præstitum sit, paucis attingamus. Imprimis igitur illud constitueramus nobiscum, ut genuinus Auctoris textus integer exhiberetur et ad fidem prioris editionis, cujus exemplaria jam dudum rarissima evaserunt, accuratissime exactus. Ad hæc, servandum censuimus Auctoris stylum dicendique modum; ne, si expolire eum nævisque

omnibus voluissemus eximere, liber conscribendus esset fere novus. Est enim Riberæ sermo latinus adeo incultus omnisque elegantioris dictionis expers, ut mentem subierit dubitatio, an utiliter in eo vulgando nostræ ponerentur curæ, an non potius ingratham haberet lector operam nostram. Dubitationem superavit veritatis historicæ amor, qui et persuasit nobis rebus factisque inhærere, posthabito lepore dicendi.

Textui selectas quasdam adjecimus appendices, quæ omnes, si unam excipias, ab ipsomet Ribera conscriptæ sunt et quodammodo indigitatæ. Proveniunt enim tum ex ejus *Responso Antapologetico*, tum ex *Echo fidei* ad quam persæpe remittuntur lectores, ut uberiores hauriant ibi notitiam rerum quæ in *Brevi Enarratione* non nisi obiter attinguntur. Hinc illud quoque emolumenti accedit lecturis, quod plerumque non nostra, sed Auctoris verba præ oculis habeant, mentemque ejus penitus intropiscere possint.

Quia tamen omnino abstinere a commentariis videbatur esse nefas, ideo nostras quoque, ubi res postulabat, addidimus adnotationes, breves tamen ac numero paucas; ad quarum calcem apposuimus indicem historicum et topographicum.

Atque hæc de Auctore *Enarrationis* novaque ejus editione ita breviter monuisse sufficiat. Fragmenta collegimus, ne pereant; plura forsitan, si Deus vires conservet, de eodem Auctore in posterum edituri.

BREVIS ENARRATIO HISTORICA

PRÆSENTIS STATUS

ECCLESIAE MOSCOVITICÆ

Duodennis jam quæ me exercet ubivis incerta sedes, nec quietem adhuc sperat, sed nec otio torpescit indulgens. Triennis interim incolatus apud Moscovitas diuturnior, socialissimos eorum mihi concessit non paucos, ubi humanissimos mihi e nationalibus injuste vix non dicerem cunctos. Insuperabilem hinc in gentem illam dilectionem protestor, potentissimas etsi repetat vires exterorum non inexperta calliditas, eorum qui, insanabiliores abortus in fide græca quæsitura, obstetricaturam conducere politiam. Socius ecce religionis zelo (quo hucusque, quantum fas fuit, tutatus sum dogmata), veritatis amor, quo, oculatus rerum Russiæ testis, sincere opto multifariam abolere detractorum calumniam.

Id ut sine nota efficiam, sacro meo characteri consulam; cum extra sacra nil me offeram tractaturum (licet in fine historiæ, cum chronologia sacra, politicam associem.).

In Russiam, cum Excell^{mo} D. D. Duce de Liria, Hispaniæ Legato etc., aulicæ sibi mecum subditorum religioni ministraturus, Missionarii Apostolici titulo a S. Sede decoratus accessi. Hujus excellentior (quantum excedi patiatur regius congenitus sanguis) solertia, asservata sibi rerum politicarum indagine, gratiose mihi cessit sacrarum apud Ruthenos scrutinium. Ad hoc vix quidquam omisi: quia in templis et monasteriis nihil unquam mihi non patuit, cum ad sacratiores et velatos eorum ritus, frequenter intra sanctuaria cum Ruthenis Prælati interfui. Veram proinde expositiunculam Ruthenæ Ecclesiæ, post explicatam hujus fidem, exhibeo, qualem perficere mihi prælaudatus D. Exc^{mus} Legatus imposuit: quam scilicet simplicissima veritate commendabilem, non redderet vitata prolixitas tædiosam. Brevis eapropter hic obtemperare incipiat prologus: citiusque inveniendæ, secta capita ac ad marginem indicata (1) notabuntur, ne displiceat methodus.

(1) Notas marginales ad initia capitum remittimus.

CAPUT I.

Initia fidei christianæ in Russia.

Fidei christianæ initia Ruthena pietas adscribit (veneratori ideo) S. Andreæ Apostolo. Monumenta traditioni huic desunt. Nec negabo tamen, S. Andream prædicantem in Scythia versus Pontum, deinde in Epiro versus Illyricum, hinc in Thracia inter Pontum et Istrum (vid. lect. Breviarii), antequam in Achaia subiret crucem, sive ad Ruthenorum hodierna ipsum accessisse confinia, sive quosdam eo misisse discipulos, quo conversi fuerint forsitan nonnulli in Russia : mansit tamen ibi idololatria publica et communis, fere per decem sæcula. Dimidio nono, tempore Basilii I Macedonis, certum est, missos fuisse græcos ecclesiasticos versus Kioviam cum S. Cyrillo episcopo (1). Hic, proposito in prædicatione miraculo liberationis trium puerorum (penes prophetam Daniel) ab igne, instantibus Ruthenis, idem experimentum fecit cum Evangeliorum libro : sed vix ullo potitus in populo illo fructu, servatis ibi idolis, transiit Cyrillus in Moraviam, et in Bulgariam cum sociis.

(1) V. App. I.

Expugnata Kiovia, Ruthenorum meridionalium metropoli, in fine sæculi IX per Olegum, tutorem ac belli ducem Igoris adolescentis, Novogorodii Ducis in Russia septentrionali, quasi aurora fidei radiavit ante plenam lucem. Uxor siquidem Igoris, Olga, mater et initio tutrix Sviatoslai, fere medio sæculo X, Constantinopolim profecta, cum baptismo nomen Helenæ sumpsit : sed hac frustra adlaborante pro conversione filii, in populo vix ullus exemplum Helenæ sequutus fuit, sub duobus ducibus Sviatoslao, hujusque filio Jaropolco. Hujus frater Vladimirus occisor Jaropolci fratricidæ Olegi, nepos Olgæ seu Helenæ, ad fidem Christi inductus, anno circiter 990, nupturus Annæ, sorori Basilii II, filiae Romani I, Imperatorum Græciæ, nedum a se in baptismo vocato Basilio, sed a toto populo fidem amplexandam elegit, projectis in Boristhenem idolis : latis in duro populo legibus, ut nisi graviter puniendus, sepulturæ tradere mortui non christiani corpus, auderet nemo, sed cadavera non baptizatorum feris exposita relinquerentur. Unde permansit mos apponendi humanis corporibus veræ fidelitatis chirographum, de quo postea (1). Ita, nulla vi ut baptizarentur viventes, sed prohibita sepultura infidelibus, populus totus conversus, extensæ in Rus-

(1) Cfr. Cap. XXII.

sia Ecclesiæ dedit initia, sub fine sæculi decimi. Hanc nedum conservari ab eo tempore Rutheni curarunt, sed extendi student, missis ultra confinia suis missionariis ad convertendos Tartaros, Kalmukos, aliosque idololatrias barbaros, aucta Ecclesia in tot expugnatis regnis, quæ ex tunc subsunt Ruthenorum imperio.

CAPUT II.

Regimen et hierarchia Ecclesiæ.

Stabiliendæ itaque ope Græcorum Ecclesiæ, juxta canonicam tunc praxim (ex synodo Chalcedonensi act. 46), non tantum episcopum destinavit Constantinopolitana sedes, sicuti ad cæteras ecclesias dictas *inter Barbaros*, pro quibus, sine metropolita proprio, ordinabat Cpolititanus episcopus : sed ut iste novo christiano principi obsecundaret, metropolitane erectæ in Kiovia ecclesiæ Michaelem Syrum præfecit metropolitam, sub quo, et episcopis aliis, inferiores ecclesiæ totius Russiæ regerentur : ordinaturo ex tunc Cpolitano metropolitam Kioviæ, isto-

que cæteros suffraganeos. Habitus sic verus ab Apostolis, per Græcos, episcopalis gradus, successive conservatur cum sacerdotio : ad differentiam hæreticorum inter Latinos, apud quos, rejectis in initio episcopis, nullus servatur ordo. Possidetur hic, inquam, a Ruthenis; licet in hierarchia prælatorum, in ecclesiarum ordine, et in canonicis juribus, novitates sequutæ fuerint. Nova quæque dominantium sedes metropolitanam obtinuit ecclesiam: imo, præcipuis aliis urbibus metropolitæ concessi, nominalem fere reliquerunt ecclesiæ Kioviensis primatum, limitata huic ditione in Russia parva; in qua et erectus Moscuæ patriarchatus, illius auctoritatem minoravit non modicum; vixque tandem cæteris episcopis non æquavit, patriarchatu extincto, sequuta Synodus. Mutationes istas, leviter etsi, sic accipe.

Vladimiræ urbis ædificatio Annales Russiæ præcedit, quos viderim : ejusque factum Principem lego anno 1079 Vsevolodum, antequam Kioviæ ducatum adquireret. Moscuæ civitatis initia dicuntur a Georgio Vladimirovitch Dolgoruki (Longimano) anno 1149 jacta. Ex his, e Kiovia Vladimiriæ transferente aulam Andrea (Georgii Dolgoruki certius filio), anno 1158, vel circiter (in computu enim annorum uno aliove me non defecisse non dicam), Kioviæ immota ecclesia mansit usque

ad annum 1283, quo Maximus metropolitanam ejus ecclesiam traduxit Vladimiriā : numeratis eousque, per 295 annos, 26 Kioviæ metropolitae, post quos, succedentes memorabunt Annales Kioviæ, minime vero communes Russiæ. Successerat Metropolitanæ Maximo Petrus, Kioviensibus jam præpollens cum aula. Hunc rogans Joannes Danilovitch, magni ducatus sceptri translator, induxit anno 1328, ut secum æque duceret e Vladimiriā sedem Metropolitanam in Moscuam. Firmiter hæc servavit, nobilitanda magis, et sceptrum et pedum. Illud in Joanne Basilevitch II, anno 1556, post expugnata regna Kazan et Astrakan, cum corona regiisque insigniis Tzaris nomen assumpsit, in illudque tandem Imperatoris (inter suos) sæculo nostro abivit (id ceu quid politicum tractent alii). In sacra sede, vigesimus tertius metropolita Moscuæ, Job, anno mihi 1587, patriarchale nomen audivit : accedente ad id Moscuam patriarchæ Cpolitani Hieremiæ cum metropolitæ unius, binique episcopi, actura præsentia; cæterorumque orientalium patriarcharum consensu, erecta simul extunc in metropolitanam Novogorodiensi, ac in patriarchalem Moscuensi ecclesia. Decem ista patriarchas coluit, usque ad decedentem anno 1703 Adrianum; cum Petrus 1 patriarchalia jura extingui (fines, ejusque ad id consiliarios scribant politici) callide obtenturus, Stephanum Javorski,

Riazanensem metropolitam excogitavit nominare patriarchatus exarcham : ut plene obliviscendum et nomen, in hujus morte anno 1720, suffragaturam nec servaret in ecclesia et populo amissam solemnem patriarchatus memoriam. Hac sepulta, Moscua neque servavit episcopum : sed ex tunc, tota Imperii ecclesia gubernatur per erectam prælatorum plurimum synodum; quæ, fere in nihilo eidem non obsequens, loco motam quocumque sequitur aulam.

Synodum hanc audivi habuisse consulti CPni patriarchæ assensum: mutatasque, disponente aula, frequentissime patitur et personas et numerum. Ipsam e Moscua abiens, his reliqui compositam: quatuor metropolitæ, Novogorodiensi, Krutitzensi (aut Sarski), Nisegorodiensi, et Susdaliensi; tribus archimandritis, Tchudov, Goritz, et Simonov; duobusque protopresbyteris sæcularibus cathedralium Moscuæ. Horum sæcularium concursui diutius est contradictum, cum Prælati ex monachis tantum eligantur: vicit tandem novitas, quia ex omnibus componi congrue aiunt synodum, de ecclesiasticis cunctis judicaturam. Si mutetur ea denuo, sicut nec mirum erit, ita nec in me accusetur mendacium. Judicat synodus cuncta ecclesiastica, non raro tamen vim patitur sæcularem, cui sæpius cedere compellitur judicandos etiam episcopos, quos politia non semel sibi degradatos tradi fecisse, vidi in duobus. Neque hoc

jam mirabor, ex quo scio, fulmen quoddam lutherano-politicum nec immunes reliquisse ipsos, qui modo componebant synodum. Taceamus, ne in ipsis punire meum repetant calamum : sciant tamen, me in alios tantum lutheranam timere vindictam.

CAPUT III.

Gradus hierarchiæ Ecclesiæ.

Servati itaque ecclesiasticorum ordinum gradus, sunt iidem ac in græca quæ est ecclesia. Primus est *episcopalis*; qui, patriarchatu suppresso, in sequentes classes et ordines hodie distribuitur.

GRADUS EPISCOPALIS.

Metropolitæ 13.

1. Kioviensis.
2. Novogorod.
3. Kazanen.
4. Astrakan.
5. Siberien.
6. Rostovien.
7. Pscovien.
8. Smolenscen.
9. Krutitzen.
10. Nisegorod.
11. Riazanen.
12. Belograden.

13. Susdaliensis.

Archiepiscopi 7.

1. Tchernigovien.
2. Vologden.
3. Tveren.
4. Kolommen.
5. Viatskien.
6. Cholmogoren.
7. Ustiuskien.

Episcopi. 2.

1. Tambovakien.
2. Voronitzensis.

Ita ordinatum gradum episcopalem exhibent synodales et Moscuensis ecclesiae tabulae, unde haec, et quae sequentur percepi. Sub his moderaturis episcopis, templorum maxima offertur copia. Vetustescat etsi, ut credo, non praetermittam, juxta transcriptum quod conservo exemplar ex patriarchio, templorum numerum. Suberant immediate patriarchae Moscuensia templa (alia pauca). Haec (praetermissis monasteriis, numerosis et plurimis), ita sub matrice ecclesia (seu *Sobor*), disponebantur, ut subalternae quadraginta praecipuae, inter totidem quadragenas, inferiores unaquaque sub junctas recenserent, supputatis perinde templis publicis mille sexcentis; vocata ruthenice ecclesiastici hujus corporis distributione, *soroc soroc* (id est quadragenorum quadragenium); quo patriarchalia decreta, concursusque communes, per quadraginta primas indicebantur et reliquis. Sic leguntur in Roma ethnica 19 tribus; in unaquaque tribu decem curiae; singulisque curiis suum templum suusque sacerdos: sic ordinata quondam ejus superstitione gentilica. Plura ex his templis incendiis destructa; deficientibus patronis nec resecta, populosissimae licet urbis parocis nec necessaria, servatum in 40 praecipuis infimorum quadragenorum numerum minuerunt: quem hodie fixum scribere tamen impediunt, et copia, pluraque ultra

erecta oratoria publica, domuumque privata innumera. Sub metropolitanis aliis numerata quondam recepi etiam templa. Sub Kioviensi numerus deerat: unde conjicio, hanc nunquam plene patriarchatui fuisse subjectam. Sub

Novgorodiensi. 993,	Smolenscen. 129.
Kazanen. 298.	Krutitzen. 525.
Astrakan. 18.	Nisegorod. 378.
Siberien. 108.	Riazanen. 955.
Rostovien. 455.	Belogradien. 532.
Pscovien. 129.	Susdaliensi. 402.

[Universim ecclesiarum] 4922

Nec tamen servari dicam hodie prædictorum templorum numerum: etsi templis, quibusdam destructis, quibusdam novis, refertum honestetur Moscoviticum imperium. Cæterum episcopatum ecclesias numeratas non habui; malo ignorantiam fateri, quam fallere, sicut non pauci.

Secundus gradus est archimandritarum (nostrorum veluti abbatum) episcopalibus fere insigniis decoratorum: subsequuntur Igumèni, inferioribus monasteriis præfecti (sicut *priores* latini). Monasteria, cum ex eis tantum eligantur episcopi, juste ea visitaturis his subsunt; intacta jurisdictione localis prælati, in spiritualibus vicarios, in temporalibus thesaurarios habentis administratos. Episcopis, et ab his ad Synodum, cunctorum ratione redenda. (Plura dicentur infra de statu monastico).

Tertius gradus est presbyteratus, indifferenter ad sæculares et monachos extensus : quorum proto-presbyteri præfulgent in Ecclesiis cathedralibus, et maximis monasteriis.

Sequitur quartus gradus, monachatus, antepositus ad diaconos sæculares simplicibus et non clericis monachis.

Succedit quintus, diaconatus, etiam protodiaconos varie permittens, sicut presbyteros ; in cathedralibus sæculares, et necessario uxoratos.

Sextus, subdiaconatus, a lectoratu non semper separatus ; etsi quatuordecenni puero, in utilitatem Ecclesiæ, non negandus. Lectores item, cantores, et lampadarios, velut tandem infimos in gradu ordinis ecclesiastici designat *Confessio Orientalis Ecclesiæ*.

Cætera namque in Ecclesia exercenda ministeria, thuriferarii, ostiarii, sacristæ, et hujusmodi, nec impositione manuum conferuntur, nec pro ordinatis ea præstantes habentur. Exercitia inferioris nunquam exequitur is, qui est gradu superior ; nisi lectoris munus subdiaconus, cum vel alius deest, vel ipse melius legit : ita ut eos increpasse audivi pluries, quod sacerdos ministraret presbytero, etiam episcopo, tanquam diaconus, aut subdiaconus, sicut in usu est apud Latinos ; dicebant siquidem ad hoc esse diaconos, ut presbyteris so-

lemniter ministrarent ; protodiaconos vero episcopis, et magnis Ecclesiis. Nec tamen putant caracterem perdidisse, sed hierarchiam mutasse. Et iste est græcæ Ecclesiæ servatus ordo ecclesiasticus : si visibile unum fateretur caput Ecclesiæ, in nihilo defecturus.

CAPUT IV.

De tolerantia alienæ Religionis et fidei.

In hoc ecclesiastico corpore inflexibiles Ruthenos continet, plus quam prælatorum instructio, sæcularis nemini ignoscens severitas. Hæc morte plectit quosvis ad aliam, etiam Romanam, Ecclesiam transiisse convicerit. Audivi, eandem timere pœnam nostros permissos illic missionarios, qui Ruthenum converterint : quod tamen plus credam ab ipsis caveri ex metu, quam tentari ex amore martyrii ; ac magis reduci ad hoc eorum munus, ut catholicis ministrarent, quam ut Ruthenos convertant ; potiusque pœnam fugere imaginatam, quam veram. Interrogavi Ruthenos prælatos ad id non semel ; zelum opponens, quo credentes nos sub sola Romana Ec-

clesia esse veram salutem, resistere non possumus, quin sciscitanti Rutheno hanc fidem proponamus, ac ex charitate cæteri, ex justitia missionarii, teneamur eidem saltem non dissuadere electam conversionem; imo si eum induceremus, injuste irrogari in nos aliquam pœnam. Qui haud modicum jocati de segni nostrorum formidine, reposuerunt: non adhuc venisse casum, ut sicut puniebantur Ecclesiæ subditi, morte plecterentur et missionarii. Practicum tamen vidi factum, in quo, integræ familiæ Ruthenæ nuper nota ad catholicos conversio; incautiori quam oportuisset catholico domestico presbytero, nec missionario, sed a conversis aliunde deducto, expulsionem e Russia mere attulit, minime martyrium; superstes quippe residet in Polonia, sicut incolumes (utinam sic in fide firmos) domi suæ mansisse audivi Ruthenos. Quidquid tamen evenerit, felices illi, qui pro fratribus in Christo animas suas ponerent. Exteros Rutheni procurant ad suam Ecclesiam trahi, nil tamen obsunt, si ab aliis ad aliam contingat induci. Itaque Turcas, Kalmukos, Tartarosque captivos, sine vi sufferunt in qualibet religione baptizatos remanere. Similiter lutheros, aut alios, converti a catholicis, et contra perverti; ex pluribus sectis illuc confluentes ex viciniore Germania, Anglia, necnon et ex Gallia profugos. Tantum, suæ semel subditos, sive baptismo, sive

solemnitransitu, postea non amoveri curant, ultimo in desertores supplicio. Reconciliandis, ut aiunt, hæreticis, formula abjurationis utuntur : expressis in ea Arianis cæterisque Græcis, Lutheranis cæterisque Latinis, quos Ecclesia proscripsit hucusque, detestandis ab admittendo in Orientalem Ruthenam. Hanc protestationis formulam, a nonnullis corruptam ex odio, ita ut Romanos (aut lutherana phrasi papistas) vitandos exprimeret, Stephanus Javorskius (exarcha patriarchatus, ut diximus), communi usui reformavit, et græcæ veræ puritati restituit : ut voce omni Romanorum aut Latinorum expuncta, hos veluti hæreticos non habendos sapienter exprimeret. Hinc, tot scriptis de Ruthenorum in Romanos communi odio fictionibus occurro. Nec enim minori securitate id assero, quam qui semel inconsideratissimo archimandritæ (ei quem supra in I. Part. circa qu. 71. §. 2. n° 7, Papam cum hæresiar-chis locantem retuli), (1) improperatus, quod Sueci cujusdam abjurationem recepturus, inter hæreticos adjici papistas adhuc eidem imposuisset ; comites Ruthenos eosdem habui prælatos plures, supradictam a Javorskio regulatam formulam assumendam esse dicentes, injuriosasque nobis cæteras respuestas ; vocemque papistarum, velut lutheranum idio-

(1) App. II.

ma, a verorum Græcorum ore aut relegendam, aut cauterio inurendam; redolereque archimandritæ illius rusticitatem, a schola certe theologiæ exulandam. Etsi enim post expressas determinate hæreses ab Ecclesia damnatas, addatur in illa abjurationis formula: *et ab omnibus aliis hæreticis*, nemini licere dixerunt, alios directe adjicere, præter eos quos anathematizat Ecclesia; sermo autem communis neminem tangit. Antiquitus profecto major a catholicis Latinis aversio (quos communi cum hæreticis Lutheranis eis non ignotis nomine vocabant *Busurman*, id est infideles), plus ex ratione status politici procedebat, quam ex pietatis studio. Græcorum contage, schisma religioni fere congenitum, in Latinos generaliter asperum, sensim penetravit et in Russiam. Istud, nascente Lutheranismò, dira consequuta sunt bella; quæ contra Polonos certatorum Ruthenorum pectora mutuo servavere discordia, accrescentibus Polonorum in Russia vires civilibus Ruthenos inter dissidiis.

Permittantur hic mihi politica, indagaturo veræ iræ religionem simulantis motiva.

Mortui sine prole Theodori, Tzaris Joannis Basilevitch filii, anno 1597, fratrem natu minorem Demetrium successurum in sceptro occiderant anno 1594, ope Borisi Godunov, fratris uxoris Theodori, conducti sicarii. Hæredibus destitutum hinc sceptrum Bo-

ris arripuit, imperantissoris arte: quem male ferentibus Ruthenis tyrannum, Gregorius *Eutrapivitch* (1) monachus, solii cupiditate, callide meditatus fuit deponere. Fugit e monasterio Moscuae Tchudov in Poloniam excucullatus iste Gregorius, utque aut Polonos sibi auxiliaturos falleret, aut certius ut Polonorum proposita obsecundaret, Demetrium verum, loco cujus occisus esset alius, se simulavit. Hujus juvit conatus, potius quam ferrum polonicum, blanda fictæ vocis sparsa apud Ruthenos aura, quod Demetrius Tzar legitimus viveret: qua illecti Rutheni, deserto tyranno, ægrimonix venenum confecere; quo toxico tactum hunc mors a curis conflictus imminentis absolvit. Vix Borisi prædicti sive filius, sive frater Theodorus Godunov, in ejus munus, trimestremque thronum successerat: cum anno eodem 1604, Demetrio personato (Joannovitch a Joanne Basilide vocato) cessit, missis a Demetrio sicariis strangulatus. Ruthenorum itaque jam Tzar creditus hicce Demetrius, Polonis moderaturis stipatus, necnon mores e Polonia impete incautus intrudens, deceptorum ab eo Ruthenorum seminavit vindicias, quarum fructus, vix post annum, cum ipso Poloni colligerent, bellorumque motus auferent. Nuptiali festo cum filia principis Sendomiriensis vacans, ipse cum Polonis sociis, fraudum et

(1) Vulgo: *Otrepiev*.

tyrannidis pœnas luit, furenti post ipsum, Moscuæ rutheno in Polonos sine discrimine gladio. Basilius interim Joannovitch *Schviski*, (Joannis Basilidis, ut crediderim, alius sive verus, sive æque confictus filius) throno potiturus, superatis Ruthenorum Tzarem salutantium viribus, in Poloniam a Demetrianis captivus ducitur, ubi juri imperandi coactus oedere, reliquit et vitam : electoque tandem in Tzarem Vladislao Sigismundovitch anno 1611 adventum autem in Russiam per integrum annum procrastinante, pulsus integri e Moscuâ Poloni, familiæ Romanov (a tunc electo Michaele Theodoro-vitch, usque ad hodiernam Annam, successive sceptrum moderaturæ) coacti sunt remittere Russiæ totius imperium. Tot in civili republica novitates ultro cavendæ, vitandam exterorum etiam religionem politice moverunt. Utque profanis negotiis sacra ferrent suffragium, post occisum cum ficto Demetrio Ignatium, quem ille in patriarchatu præfece- rat ; vacuæ per annos quatuordecim sacræ sedi ob confusum imperium, destinatus est patriarcha, novi Tzaris pater, Theodorus, assumpto prius in monachatu nomine Philareti : qui sacra auctoritate futurus efficacior, populûm in civili obedientia erga filium roboraret. Ergo religioni ducendus exterorum horror, plus in Polonos effervens, Latinos cunctos græcis oculis male aspiciens, superciliosior

versus est in catholicos ; ut plebs ignorantior, in Polonos plus quam in Turcas pugnatura, apud se existimaretur devotior. Interea Lutherani rusticis minus noti libentius obtinere ingressum cum religionis exercitio publico ; non, sicut horum scriptores jactitant, ob sanioris eorum religionis judicium, sed ut visa eorum impietate, populus, alia Latinorum sacra non videns, cunctos parium, cum Latini nomine, superstitionum reos concipiens, se ab eorum sodalitate sanctius custodiret : ampliusque frustra Poloni quærerent fœdera cum eis, qui Latinorum cuncta, Luthero objecto, dicerent superstitiosa. Hæc inde Lutheranis jactandi manet gloria, acceptatos tunc eos fuisse libentius, ut Latinos cunctos lutheranæ impietatis infamia macularet nimium cauta ignorantia. Bellorum in fine, paciscentes cum Ruthenis id pie ostendere studuere Poloni ; cum inter alia, non nisi permittenda publice religione et templo catholico, ineundo fœderi consensere : publicum enim ibi cultum, et hujus intuitu catholicum reffectum honorem, a nemine emendicatum habuimus, sed debetur Polonis. Viderunt jam Rutheni, nos, contra Lutheranos, vera septem sacramenta tueri, ritus, traditiones, jejunia, Sanctorum invocationem, imaginum cultum, cæteraque, paucis exceptis, servare cum eis communia dogmata. Jam Ruthenos cordatos templa nostra non

fugere, nobisque sua non prohibere ; imo testabor, millies eos recipiens, et ab eisdem receptus : sacris mutuo interesse ; qui celebravi Missam, adstantibus monachis, ab ipsisque celebratæ vicissim adfui, in præcipuo eorum monasterio Troitzæ : baptizandorum nostro ritu, patrilinos eos fieri ; ad eorumque baptizandos plures, catholicos patrilinos vocari ; qui catholicæ matris puellam baptizavi, levante eam e sacro fonte, cum Legato Hispaniæ, patrigna *Magna Moscoviæ Ducissa Natalia* ; baptizandæque puellæ a Rutheno parochio, patrilinum vidi, assistens, Excell. Dominum eundem Legatum cum nobilissima una ex baronibus *Strogonov*. Templam tandem duo publica producant Lutherani Moscuæ. Nobis vere in minori numero sat est unum, sicut Petropoli. Utrobique catholici congregamur campis publicis ; Lutheranis autem in templo colligendis, ad signum commune non licet publicus sibilus.

CAPUT V.

Secta Rascolnicorum, hæreticorum inter Ruthenos.

Indefessus communisque servandæ fidei zelus, immunem hanc custodire nequivit a quibusdam Ruthenæ suæ Ecclesiæ desertoribus. Horum ibi non immodicum cœtum constituunt quidam, vocati *Rascolnici*, vera nominis significatione, id est, *segreges, schismatici, pertinaces, adversantes, tumultuarii*, etc. Nomen istud sibi datum ab initio hi respuebant, illud Ruthenis aliis applicantes: sumpto sibi isto: *Izbrani*, hoc est *Electi*, quasi præter ipsos, essent reprobi cæteri: nunc autem et nomen primum honorificum putant; et externum signum panni rubei medio dorso e collo pendentis dignoscendi a cunctis, velut Romæ Hebræi, sine rubore, imo gloriabundi ostentant, encomium facientes injuriam, ac in ornatum vertentes signum dedecoris. Neque id mirabuntur Latini, quorum novatores vident, *Protestantium* jam sibi ipsos ostentare vocabulum, ægre quondam auditum: veluti primum obtusæ eorum pervicaciæ commune chirographum. *Rascolnicos*, sicut Protestantes nostros superbia, ita

genuit non minus obstinata ignorantia. Latinos insanabiles alit nunc cavillatus in dogmate; Rascolnicos sustinet antiquitatem et ruditatem permiscens stupiditas; nullam correctionem volentes singularem cæremoniarum, morum, rituum, et traditionum introductarum a rusticis priscis. Ingruit quandoque in repurgantem ritualia patriarcham Niconem horum ita effrænis tenacitas, ut plena synodus, et Tzaris aula seditionem vix sedare poterint, quam tamen nece capitum cohibuerunt.

Errores itaque fovent in rebus minimis, quæ nedum maxima esse dicunt, sed necessaria prædicant, ut contraria damnent. Crucis signum (sicut circa quæst. 51, prim. Part. diximus)(1) tribus majusculis digitis a Ruthenis formatum damnant, cum ipsi illud pollice, annulari et auriculari, dicentes id dogma esse fidei, efficiant; crucem non octagonam, crucem Latinorum et hæreticam dicunt; imagines non deformes, libros non respersos antiquis fabulis, veluti hæreticas novitates proscribunt: circuituros templum in processiuuncula Paschatis, incipientes a dextris, heterodoxos dicunt, quia ipsi a sinistra parte processionem inchoant; in sepulturæ ritu, præcedere thuribulum damnant, qui illud post cådaver ad sepulchrum deferri volunt.

(1) Cf. Append. III.

Carnium esum, vini (adhuc et cerevisiæ, quare lupulos eradicant) potum etsi modicum; cum Ruthenis alienæ fidei civilem congressum, et plura alia, veluti peccatum damnant; nec ubicumque eadem (nec sine plurium falso sibi imputatorum criminum nota); a quibus erroribus, nec benignis monitis, nec violentis, quæ imperturbati subierunt, revocari possunt suppliciis. Miseri isti in igne probati, cui eis destinato ultro se quoque tradiderunt, nec fæces suas reliquerunt: permittendi tandem a Petro I, in toto imperio, signati, ut diximus, quasi infamiæ nota. Episcopos non habent, sed nec carent paucis presbyteris, ab ecclesiis, aut monasteriis ad eos confugientibus; qui si quandoque eis deficiant, ad aliorum sacra et ecclesias non concurrunt: eligentes potius nullos, quam, ut aiunt, relaxatos et perversos audire. Eos vocant *Kniznicos* (id est eruditos, vel veris libris usos, a *Kniga* quod est *liber*): quia enim antiquis illis libris assuescunt, in quibus, corruptissimis etsi, aiunt esse veram doctrinam et ritum, judicantur, nedum toto populo sicut deberent, sed et cunctis aliis presbyteris illi sapientiores: cum tamen se ignorantissimos esse nec noscant, et sapientes audire respuant.

CAPUT VI.

Instructio juventutis et plebis.

Instruendis pueris in primis litteris, numerisque slavonicis nationi propriis, ita ut legere, scribere, vulgaresque emptionis ac venditionis computus facere non ignorent, Rutheni etiam pauperiores invigilant. Nullibi major cura; nullibi pueris, ut ea discant, minus ignoscit egestas, nec proinde ullibi generalior fructus. Taceri non meretur immitis pauperum parentum ars, quæ vincat inopiam. Pædomagistrum adit parens, cum quo non menstrua, non annua solutione convenit, sed levissima et semel adimplenda, sat instructo in primis litteris puero. Unico ut audivi *rublone* (imperiali scuto vulgari argenteo) tantum exspectato, præceptor non raro conducitur. Hic pro citiori mercede nulli parcens severitati, puerum ad addiscendos elementares characteres, nec flexa nec intermissa vi compellit intendere. Vix credi posset in noscendis 43 literis alphabeti slavonici (ipsis *Az-Buki*) verbere stimulante puero- rum celeritas. Nec pater curat diminui pœnam filio, a qua eum redempturus esset majori pecunia :

nec pædagogus, ne dilata mercede sibi labor accrescat, tundendæ indulget infantia. Ita instructos pueros quosdam, educandos amplius, plusque in cantu, alunt episcopi, archimandritæ, et monasteria, destinandos ecclesiæ ministerio. Cæteris erexit Petrus I Moscuæ scholas publicas, erudiendis, græce, latine philosophis ac theologis. In eis, professores sunt monachi, frequentius qui e scholis Jesuitarum transscriptos tractatus secum advehunt ex Polonia. Horum peritiam nec negabo, nec fatebor in cunctis : theologum quippe inveni accedens, doctum certe, hodiernum Smolensci episcopum ; sed regressurus succedentem reliqui alium, quem (sicut sat memini in Part. I ad quæst. 71, in disput. publica) me audisse dicam, nulla arte sustentem errorem de Spiritu S.; quique ostenditur, inertior in Romanam Ecclesiam detrahens, plusquam impugnator. Paucissimum ulterius studentium numerum convincit duodenus tunc temporis theologorum. Unde ergo toti Russiæ quærendi sunt concionatores, sapientes parochi, prælati, episcopi? Væ! Postremos observavi eruditos nonnullos, quos pro Russia instruxere alibi scholæ Latinorum apostatas. Doctissimus inter eos præsidet Illustr. Theophanes, Novogorodiæ archiep., collegii Græcorum S. Athanasii Romæ annis pluribus cum catholicis incola; unde, dimissa ibi quam

verbo juravit fide, nec servanda nunc gratitudine, asportavit artes : sicut aliunde plures, quos peropto felicius reduces. Idem e Romano Ruthenus, potens est in Russia, Synodi præses ; aulæ vix non arbiter ; magnatum (plus exterorum) oraculum, Ecclesiæ nationalis fere moderator ; quem etiam ab ecclesiasticis timeri plus quam amari, vidi ; adolescentes plures domi exercet, instituendos in musica, pictura, mathesi, aliisque scientiis. In templo gravis ; in altari venerandus ; in concionando disertus ; in eloquentia sacra et profana comptus ; in græco, latino et slavonico sermone æque facundus ; domi magnificus, mihi nunquam non humanus ; sola fide (quam nec forte perdidit) graviter taxandus, sola patriarchatus Moscuensis resuscitandi fama stimulandus, cujus si tantum potiretur nomine, re vix ei quidquam accresceret. Ejus pro eruditibus bibliotheca Imperialem et eam monasterii Troitzæ antiquiores valde superat ; quas unice ibidem vidi, quia Russia plures non possidet, nec nisi paucissimos libros. Academia alia pariter a Petro I, erecta Petropoli, eruditorum hujusce seculi (experimentalis, practici, mechanici *docti-fucati*, *Cartesiani* tandem) exercet calamos ; bibliopolia cumulatueros exhibet typos ; quæ, otiosis fere magistris, hucusque advocavit Ruthenos. Magni illius imperantis Petri I, cauta etiam gymnasiarchæ ce-

lebranda prudentia; quæ tractandam Petropolis professoribus theologiam non commiserit, quos heterodoxos vix non omnes elegit; qui noxia Lutheri dogmata privatim si Ruthenis commendarent, saltem publice obmutescerent. Alia Revaliæ Suecos auctores memorat servata schola, Livonis et Finlandis paucis humaniores litteras propagatura, a Ruthenis vix perquirenda.

CAPUT VII.

Libri sacri.

In sacris itaque, eosdem directuros habent Rutheni libros, tum in fide, tum in pietate. Principem inter istos honorem habent Scripturæ divinæ; veluti canonicæ receptæ a Ruthenis omnes, quæ in Romana Ecclesia. Slavonice translatum legitur ab eis Vetus Test. juxta LXX interpretes in lectione Romana antiqua; Novum Test. secundum Græcam. Cum ergo S. Hieronymus verus communiter credatur (Dalmata ortus) Slavonus translator (1); procul

(1) Meminerit lector, hæc scripta fuisse sæculo XVIII vix adulto; nec deesse etiam nostra ætate qui S. Hieronymum auctorem fuisse putent literarum, ut vocantur, *glagoliticarum*.

dubio antiquiorem hanc versionem præmisit Vulgatæ, priusquam scilicet in Palæstinam pergeret, accuratiora ad hanc exemplaria consulturus; alias nec in iota, slavica a Vulgata discreparet; quam tamen cum antea ex veteri Romana et Græca lectione transtulerit, slavica immutata remansit: variatio hinc dictionum ex LXX interpretibus petita, vulgatæ nil obfutura, apud auctores exponitur. Sicubi integrum sensum, aut necessarium verbum in exemplari slavico deficere, vetustas offert (sicuti erud. profess. Petropol. D. Grotius mecum in monasterium Troitzæ profectus, ad locum I. Joan. V, 8, notabile in Ruthenis vetustioribus codicibus volebat); quis negabit, amanuenses potius, et parum accuratos, nec sat correctos, aut citius accusandos esse typographos; quam ob mutilum ex his exemplar, a quo defectuosum forsitan offeratur transcriptum, dubium facere communem Ecclesiæ sensum? Sciola Lutheranorum critica quæ primum objiciat pro cunctis libris sacris, Orthodoxam in Ecclesiam observantiam secundo eidem commento satisfacturam non molestat.

Secundum librum, fidei et moribus Ruthenis ordinandis vulgatum, dicam esse Cateheticam, quam expono, *Orthodoxam* vocatam, *Orientalis ac Apostolicæ Ecclesiæ confessionem*, Hujus Ruthenum auctorem, et apud Græcos auctoritatem, in prælu-

dio primæ partis explicui (1); dogmata, quæ ortho-
doxa, quæque his opposita, profert totum opus
legenda. Tertio apud ipsos succedunt libri cano-
nici: unus septem concilia generalia exhibens;
alius vocatus *Kormtchaia*, id est canonum, ab apo-
stolicis ad Quini-Sextam, synodorum decreta sa-
cra, sanctorumque Patrum regulas ab Ecclesia ac-
ceptatas continens. Pluries cum archimandritis
quibusdam suscitato dubiolo, quem resolvere oportet
ex sacro canone, slavonice versos, cum late-
tine a me exhibitis, (hos apud *Carranzam* collatos),
differre nonnullis verbis invenimus. Crediderim, li-
bros istos additiones aut detractiones fuisse passos
a Græcis, (sicut in Parte. I. ad quæst. 71, et in 2.
Parte ad qu. 84, notavimus) (2): cum quibus eos Ru-
theni a Græcis receperunt. Plurium item SS. Pa-
trum opera slavonice translata non desunt, nullius
tamen omnia habentur. Præcipua sunt sequentia:
Cyrilli Hyerosol. Catecheses, Chrysostomi Homiliæ
in Matthæum, et in Epistolas Pauli; Damasceni li-
bri IV de Fide Orthodoxa et homil. duo de Cultu Ima-
ginum; Theophylacti Comment. in IV Evangelia;
opuscula Basilii plura; Ephrem Syri et Nazianzeni
nonnulla; cæterorum paucissima. Manuscripta an-
tiqua a devotisque monachis versa, exstant plura,

(1) V. Append. IV.

(2) V. Append. V.

titulo, auctorisque deficiente nomine non noscenda. Quidam *Sledovanna* vocatus producitur, ad usum communem psalterium offerens : aliusque, post vulgares oratiunculas, cum Græcorum quibusdam, Latinorum pariter, versos tractatus permiscens ; inter quæ, canticum *Te Deum laudamus*, accuratissime legitur, prolegomena Augustini in Psalmos traduntur, et alia. Hoc unicum eis me desiderare dixi frequenter, ut siquidem summam Theologiæ S. Thomæ Aquinatis Græci transtulerunt, cujus duplicatum exemplar numeratur in catalogo bibliothecæ imperialis Moscuae ; utilem sibi non minus Ruthena devotio redderet, lectitandam in translatione slavonica : quod facturum si quicumque mihi scribens sponderet, in remittendo ad eum latino exemplari (quod apud neminem audivi servari in Russia), mea providentia non deesset.

Indicem librorum a Græcis translatum numerant Rutheni uno volumine triplicem. Primi ecce titulum: Liber Sanctorum et a Deo inspiratorum Doctorum nostrorum, et Pastorum universalium, in quo commendati SS. Doctores catalogo ordinantur. In secundo notantur Auctores apocryphi, quorum licet non prohibita, vitanda tamen consulitur lectio. In tertio, hæreticos scriptores nominatim proscriptos zelus commemorat ; quorum lectionem, sicut de astrologia judiciaria tractantium, Ecclesia sub peccato prohibet.

Sequuntur ad div. cultum menologia, et ritualia ecclesiastica. Horum agmen ducit trinæ communis Missæ liturgia; sumenda secundum diversas solemnitates et tempora. Prima, protractior in præcipuis festis canitur, quam composuit S. Basilius. Secundam breviorē ordinariē persolvendam ordinavit Chrysostomus. Tertiam Præsanctificatorum, in qua sacrificium non fiat, sed consecratus jam panis et servatus sumatur; quam pro jejuniis quadragesimæ S. Gregorius I ante papatum, Constantinopoli degens, Græcis sacrificium juxta canones omittentibus, pane sacro reficiendis, composuerit, retuli in 2 Parte, circa quæst. 88, § 6 (1). Cunctarum ex græco versarum dedit explicationem latinam Goarius. Ad alias canonicas publicas et solemnes Ecclesiæ preces, menologia græca, tam de tempore, quam de Sanctis, habentur traducta slavonice; additis officiis Sanctorum nationalium, recitandis a Ruthenis, diebus propriis. Non dicam approbanda cuncta in individuo, quæ nunc in gestis Sanctorum legit Ecclesia Ruthena et Græca; sicut neque colendos Sanctos ipsos, quos sacris dypticis adaptavit post schisma. Eas tantum religiose dicam legi in ecclesiis Sanctorum historias, quorum cultui, ac quarum veritati suffragantur ecclesiastici veri canones. In San-

(1) Cfr Append. VI.

ctorum festis legi Sanctorum gesta piissime a primitiva Ecclesia accepimus; et hoc est quod ab omni antiquitate legimus, fieri Martyrum et Sanctorum memorias; ut quos intercessores apud Deum quaerimus, eis associandi, eorum exempla sequamur, Deumque in Sanctis mirabilem collaudemus.

Distributis hinc solemnitatibus per annum, sicut inter Latinos, mutuarunt Græci Ruthenis duodecim libros, totidem mensibus exhibentes Sanctorum vitas, in templo legendas. Hincque scribentibus Lutheranis, fabulis replere officia sacra Ruthenos (cujus criminis socios crimentur Latinos catholicos), apologiam non aggrediar pro veritate tuenda in quibusdam, quæ (me inscio tamen) permiscuerit simplicitas in aliquo Russiæ angulo; sicuti nec a me sustinendas putent Lutherani historiolas plures, quibus inducit populum rustica monticolarum credulitas. Eas tamen, quas, sive Latina, sive Græca (vera) Ecclesia proponit recitandas Sanctorum historias, falsas et fabulosas qui irridere audeat, temerarium se convinci non dubitet, qui Ecclesiam, ultra studiosius examen humanum, imploratumque solemniter ei illuminandæ Divinum auxilium, propriæ postponit indagini: infidum se prodens in omnibus testem, ex quo diffidens majoribus, quaerit nunquam futurum præteritorum experimentum. Privatæ devotioni proposita a piis

viris Sanctorum facta illicitum non reddunt dubitanti exactius scrutinium. Communi pietati meditata quæ approbans proponit Ecclesia, sancta certo credit religio, sacrilega negabit impietas; ambiget circa ea solum hæresi plusquam proxima, insana ac male cauta temeritas. Hanc nedum Græco-Ruthena, nedum Romana, sed et Anglicana etsi calvinizans detestabitur Ecclesia : quæ per annum Sanctorum festa recolens, ac in orationibus virtutes eorum peculiare Deo rogando proponens, meditandas ad minus virtutes Sanctorum offert; quos intercessuros non credit, orandosque negat. (Nisi enim meditandos, ut quid commemoraret Sanctos, nec ipsa dicet : imo, cum potius Deo scienti, quam monendo populo proponat, plus movendæ Dei clementiæ ex eorum meritis, quam inducendis orantibus ad Sanctorum exempla sectandi, Anglorum liturgiam de Sanctis non intendere, operosissime sustinebant extra Angliam Cantabrigenses aut Oxonienses Magistri). Solis Novatoribus aliis purgandi viderentur ex his Anglorum ritus; nemo quoque catholicus non impugnabit, quod die XXX januarii martyrium religiose colendum adhibeant eorum Regis Caroli I, qui eadem die (novo stylo, IX febr.) anni 1659, nec hæresi ejurata, (vid. Graveson Hist. Eccl. sec. XVII, colloqu. I, et alios) non in veræ fidei odium, sed in tyrannidis fulcrum, re-

bellem Cromwelliani Parlamenti succollavit gladium. Ita tamen oppugnaturis istud exhibent Lutheranis officium (ante lectionem Apost. collecta: quam sicut verto, in gallica versione liturg. Eccles. Anglic., jussu Regis 1662, approb. recusa Londini, 1683, ita lego): *Magnificamus nomen tuum (Domine), qui dignatus es tantam gratiæ tuæ copiam super Regem ac supremum Dominum N. Martyrem tuum effundere, qua potuerit hic gaudens, præceptoris et Salvatoris sui sequutus vestigia, constanter crudeliores quascumque sufferre injurias, quibus usque ad sanguinis effusionem resisteret, rogans in morte pro intersectoribus, ejusdem sequutus exemplum. Fac (Domine Deus), in æternam benedicti a nobis ipsius (Martyris) memoriam, ut eam sufferentiam ac charitatem imitemur, ad quam nobis reliquit exemplum: cujus sanguis nunquam requiratur e manibus habitantium in terra hac incolatus nostri. Per D. N. Jesum-Christum, etc.* Idem repetunt vespertinæ preces quas, ne Anglorum, oblitis Ruthenis, historiam texuisse dicar, omitto. Tamen ea Ruthenorum nomine Lutheranis objicio: ut vel Anglos non approbaturus noscant, quod superstitiose legi ipsi dicant in templis Ruthenorum, colendorum Sanctorum gesta; aut Anglis, quos Novatores nanciscantur hujus criminationis socios, in salvanda anglicana liturgia ferant suppetias.

Manualia tandem, ritualia, euchologia, formularia, etc., habent Rutheni ad sacramentorum, precum communium, benedictionum, cæremoniarum, cultusque sacri publica exercitia; quorum librorum notitiam nullus inquirat Latinus, qui noverit eosdem, quibus ad ritum sacrum utitur Græcus.

CAPUT VIII.

Tempus cultus sacri solemniss.

Sacrum Dei cultum, insinuatus siquidem est, in tres quotidie partes distributum, horis suis complent Rutheni. In monasteriis, indefectibilis incipit media nocte primus in ecclesiam sacer conventus. Alia templa horam commodiorem perficiendo somno exspectant, sed antelucanam eligunt, quantum permittit temporum series. Officium istud, ruthenice *Outrenia*, idem est *Divinarum laudum*, quod notis adjectis e græco vertit Goarius. Correspondet matutinis precibus, laudibus, martyrologio et primæ cæterisque horis diurnis, præter vespertas, Officii nostri romani: unde pars aliqua hujus *Outreniæ* vocatur *tchashnik* (id est *horologium*). Imo, sicut et

preces reliquas, cæremoniosior ritus græcus extensus valde officium hoc producit, quam latinus. Indeque orta est tanta ministrorum in legendo et pronunciando celeritas, ut nisi ex usu hymni, psalmi, collectæ, versiculi, præces et reliqua memoria retinerentur, vix ab ullo percipi possent. Quod fere necessarium fecit diffusio, in solemnitatibus quibusdam et diebus plurimis quadragesimæ, quinque horarum tempore solis nocturnis his laudibus persolvenda.

Secundo est sacrum *Missæ* sacrificium, ruthenice *Obiedna* : ad quam regulariter concurritur versus horam diei nonam. Liturgia hæc triplicem variat formam, ut dictum est : quarum unam, nempe S. Basillii, non semel in præcipuis festis vidi quatuor consumendis horis vix perfici. Brevior est illa Chrysostomi, et Præsantificatorum alia, quas tamen plus valde quam inter nos solemniores, quandoque celebrans, quandoque protrahit cantus. E græco cunctas acceptas explicat latine Goarius. Tertio tandem, ante Vesperam completur officium aliud, ruthenice *Vetschernia*, nostris correspondens Vesperis et Completorio, sed æque diffusius : quod a Græcis explicatum per *Lucernarii Orationes* dedit quoque Goarius. Ordinem inter has præces vidi ubique practicam, ut *Outrenia* nunquam non præcedat *Obiedniam*, sicut nostrum Matutinum *Missam*.

Præscriptum id Latinis notavit Goarius (in Laud. offic. not. 34. p. 47) ab Odone Parisiensi, constit. synod. cap. 5, ut *nullus ante Matutinas canonicas ac Primam præsumat aliqua necessitate celebrare Missam* (quod transiit in legem communem); Græcis item in synodo sub Germano, Amathuntis Cypri episcopo, dici: *non convenire, sacerdotes Divinis mysteriis initium dare, nisi prius Matutinas et Laudes Horasque decantaverint*. Servatum hoc, inquam, vidi in ritu Ecclesiæ publico. In particulari autem, absentes a choro presbyteros non teneri ad persolvendas has preces sentiunt Rutheni; sicque, interroganti mihi, quia neminem unquam viderim, frequenter eos adiens, recitantem in camera, respondere plures: orationes has communes unice persolvi in templo. In quo Latini differimus, qui extra chorum integrum Officium recitare debemus. Cultum hunc tripartitum, re pure græcum, idiomate slavonicum, solemnissimo cantu in magnis templis et monasteriis perficiunt Rutheni; minori solemnitate in parvis ecclesiis, et ministro in quibusdam uno, sicut in nostris; rarissime tamen deficit presbytero suus diaconus; cantoreque et lectore vix caret minimus pagus.

Musica, nisi verbalis cantus, permittitur nulli: nec organa, nec instrumenta alia, sive pulsu, sive flatu, noscuntur in templis, sed solæ homi-

num voces. Damnare morem Latinorum in organis, Ruthenum audiui neminem : melius tamen sentire, imo displicere contrarium, quod laudes Dei solæ rationalium voces exprimerent, audiui ab omnibus. Artificiosissimo, suavi, gratoque maxime cantu, psallentes audire Ruthenos mihi contigit, quoties eorum adii templa ; ubi numerosi magistris reguntur chori canentium. Nullibi acutiores voces me audisse memini ; nullam æquarem in claritate et gravitate ei, quam percepi a maximæ ecclesiæ Moscuensis diacono. Modulationem tandem Ruthenorum in sacris intelligat, qui audierit Romæ, æque sine instrumentis, musicos, in capella summi Pontificis ; excedet hæc arte et regulis, quantum excedetur vocibus ; eviratorumque illic defectum supplebunt futuri viri, integerrimi pueri. Antiquitatem et gravitatem rutheni modulaminis comprobatur Papalis conservata musica, vocibus constans, extra Rituale nil sacris permiscens, theatralibus levitatibus minus exposita, quibus sordesceret Dei cultus. Populus ruthenus, ad sacra concurrere, orantem pro plebe sacerdotem attendit, in quo communiter plebs nil verbaliter exprimens, mentem ad Deum elevat, quia presbytero loquente communiter orat. Stat in templis quisque, nemo genuflectit, sed vel prosternitur quandoque, vel inclinatur profunde, imitato presbytero.

Adoratio fere tota et cultus exterior consistit in repetitis crucis signis formandis; quibus more græco se orantes signant, junctis tribus manus dextræ majusculis digitis tangentes frontem, inde pectus, dein dextrum humerum, postremo sinistrum (de quo diximus in 4 Parte circa quæst. LI.) (1). Vix Rutheni mane expergefati, coram imagine, qua nemo caret, per aliquot tempus hæc crucis signa repetunt. Civiliores nonnullos vidi libello quodam orare, repetitis inclinationibus cum crucis signo adhibito. Cæteri, nil pronunciantes, præterquam *Gospodi pomilui* (Domine miserere), vel invocato nomine Trinitatis, cruces multiplicant. Viso a longe templo, erectam desuper crucem eisdem signis salutant, quæ ad vix non centum repetere vidi nonnullos. Cum mutuo se visitant, ingressi domum, priusquam circumstantes salutent aut alloquantur, devotissime (ter communiter) cruce facta adorant imagines; in egressu similiter. In templis, unusquisque post sic salutatas imagines attendit presbyterum, cum quo inclinetur et crucem efformet; etsi rusticorum devotio non ita exacte actiones sequatur ministri, sed suas ad libitum cruces duplicet singulari pietate magistra. Complicata ex pelli, centum rugis connexis in gyrum, signa

(1) Cfr. Cap. IV.

conficiunt coriarii : quæ oraturi in manibus fere continuo gestant monachi et quandoque cæteri simili ordine composita, nostra ac habemus signa Rosarii. His utuntur Rutheni, eenties (plures non semel in die) repetituri oratiunculam solitam : *Gospodi pomilui* (Domine miserere), vel *Domine Jesu Christe, ignosce mihi peccatori*, vel aliam hujusmodi.

Neque nostra ignorant, nec non laudant, repetendæ Salutationis Angelicæ ad Beatam Virginem signa Rosarii. Testaturus id, ostendam dubitanti (pretiosum mihi certe) donum, quod in memoriam servandum recepi abiturus e Moscua a Nobil. Domina Baronissa de Strogonov matre : globulis rubentissimi corallii non exiguis, interjectis per quinque decades, singulis rimati artificiose et inaurati argenti, terminante corollam ex globulis similibus formata cruce, serico nexis sphæruleis retinaculo, meam perpetuo in piam illustremque ejusdem familiam memoriam vincituro. Hac ut in orando uterer petiit, precum ad Beatam Virginem ut fieret particeps. Fine eam non fraudabo, mente non pulsam ; licet Rosarii signum illud manus non occupet, præstantius quam religiosum decet ex pretio. Qui aliter de præsentis Rutheni populi ad sacras preces pietate scribat, falsitatis reum, me teste, convictum rejici ab omnibus dignum erit.

CAPUT IX.

Sacramenta septem. Baptismus.

Sacramenta septem quidni Rutheni credant, qui Græcæ Ecclesiæ partem, Ruthenam esse propugnant? Hæc alibi fuso tractatu, ipsorum vocibus explicare paratus, eo Novatorum vocabo susurrus, ut languescant in *Echo Religionis*, quos defecisse in *Echo fidei* vidimus. Juvabit Deus ad id, ut spero, vota, si vel adversa amplius, vel denegata, vel segnia patiar humana suffragia. Baptismum, tanquam Græcos, trina immersione perficere, nemo damnabit; sicut a Latinis, sive immersione, sive effusione aquæ conferri, ipsi non increpant, eadem accepta ab omnibus forma. Pædobaptismo, vix mundo natos, suos regenerant. Exteros non paucos, Kalmucos et Tartaros, quos captivos ducunt, conversos et baptizant et baptizari sinunt. Immergendis puerulis parvas aquæ lustralis adhibent conchas: adultis proportionata vasa lignea seu dolia, juxta mensuram baptizandi profunda, atque pro unoquoque benedicenda. Hiemis borealis asperitas tepesciendæ et tolerabilis fiat aquæ, caveaturque ut

aër nociturus infantibus, baptismi in domibus fere usum induxit; cujus ritus græcum adimplet in omnibus.

Id unum notavi semel, ut publice baptizandis duobus Kalmukis in templo, nil indulgeretur pudori. Ultra trigesimum hi jam annum attigerant, quorum sacrum lavacrum, quantum templum monasterii Scholarum (*Spasski* seu Salvatoris) permisit, advocavit concursum. Aderant ex omni statu, etiam moniales permixtæ fœminæ. Facto juxta ritum exorcismo, catechismo, reliquisque præviis, sub parata in templi angulo velatura cortina nudati viri, inde exeuntes (solita nationis in communibus et frequentibus balneis simplicitate servata), nulla judicantes pudenda, per gradus ascenderunt successive quislibet, profundam juxta ipsorum mensuratam altitudinem baptisterium ingressuri. Intra aquam stantes presbyter, manu capiti admota et impellente, ter immersit; exeuntesque repetendis gradibus magnaue templi parte, sub cortina induti denuo, cætera complevere. Ministro, quid mihi videretur inquirenti, amice objeci, in actu illo solemni et publico nil obstituram, imo adaptandam modestiam: nec nisi materialissimum responsum eidem debui, lavacrum scilicet esse faciendum integrum. Professor hic ille erat theologiæ; a quo quid expectari potest, juxta ea quæ

alibi de exercitiis in schola jam retuli? Irridentem ejus materialitatem, natu Græcum sapientem habui socium, cautius honestiusque asserentem, facturos id esse Græcos. Decentissime autem cuncta, alibi me præsentem, peregit Ruthena civilitas : nec enim ad eorum laudandam prudentiam urbani mihi defuere magistri ; ubi Archimandrita unus satis non est imputandæ cunctis immodestæ rusticitati.

Baptizandæ, in domo prænominatæ illustriss. Baronissæ de *Strogonov*, Kalmukæ novenni, cum patrino, Excell. D. Legato Hispaniæ, interfui. Alba pretiosaque induta sola tunica linea, ad fauces ligata, ad pedes usque protensa, puella comparuit. Aquam hac ingressura, subtilissima sindone os opertum fuit puteoli. Complicatum modicum linteum locum cessit ingressuræ puellæ pedibus, post quos, quantum corpusculum intrabat aquam, elevabant assistentes mulieres tunicam, a puella jam aquis operta plene ablatam. Hac decenti præparatione dispositum baptismum exorsus est parochus. Amota sindone, capiti puellæ manum applicuit, proferensque formam trina immersione sacrum lavacrum peregit. Ab unda exituræ puellæ, expansa item supra dolium sindone, paratum adhibitum est pretiosius novum indusium, corpori aptandum, a capite gradatim, discedenti ab aqua, absumenda hac prius pannis aliis per fœminas, sub sindonis

tegmine. Sic decentissime lotæ unctiones sacræ adhibitæ sunt, sacramento confirmationis complendo.

Ignorantiæ haud indulgendum est scriptorum plurium, Ruthenos insimulantium iterare baptismum, sive ad suam Ecclesiam post lapsum in hæresim restituendorum, sive recipiendorum ex aliis. Si doctrinam Ruthenorum inquirerent, baptismum non posse iterari audirent. Si Græcorum ritum caperent, baptismum non putarent esse, ritualementem cæremoniam conducendi reconciliandum hæreticum ad baptisterium, memorato sibi loco in quo infusam fidem acceperat quam perdidit, ut eam in ipsa integritate recuperet. Sicut etiam reconciliatos in fide antiquus ritus nedum Græcorum, sed etiam Latinorum plurium, cæremonialiter ungebat, quin Confirmationis sacramentum iterabile unquam creditum fuerit; monebatur tamen unctus reconciliatus, ut fortitudinem in fide recuperaret, quam in Confirmatione receptam amiserat. (Vid. Goar, not. ad can. patriarchæ Methodii de his qui abnegarunt. pag. 697). Nec inficiabor sicubi continetur hic ritus, unde Missionnarius quidam ex nostris Moscuz antecessoribus morem hunc habitum, sicut audivi, servaverit. Nam sacramentum Confirmationis peragere, simplici presbytero latino concessum non legitur a tempore S.

Gregorii Papæ, quem scribunt quidam, sacerdotibus Sardiniae auctoritatem hanc suo tempore delegasse; de quo suo loco de Sacramentis dicemus fusius. Sive per hos, sive per episcopos mittendos, confirmari desiderarem catholicos, et Moscuæ et ubicumque eis, sine ministris, deficit robur istud ad constanter servandam fidem : in locis ubi eam faciunt hæreticorum oppugnationes minus tutam.

CAPUT X.

Confirmatio.

Immediatè ad administratum baptismum, parochi ipsi aut sacerdotes simplices confirmant sacramentaliter baptizatum; quia ritus græcus nec alium requirit ministrum, nec tempus exspectat ulterius, seu in suscipiente rationis usum. Nil fere ultra mores græcos præstat singulare ruthenus. Oleum consecratum pro materia ab episcopo suscipit parochus. Eo ungit baptizatum, repetita forma, in fronte, auribus, oculis, naribus, ore, genis, pectore,

dorso, manibus, pedibus, tibiis, genibus (cum tamen tot unctiones non adducat in suo *Euchologio* Goarius): nec certo dicam, ab omnibus ungi tot partes. Sacrum oleum non applicatur cum digito pollice, sicut a Latinis, sed argentea virgula, abstergiturque cremandis gossipii villis. Finitur precibus et lotis in aqua baptisterii presbyteri manibus.

CAPUT XI.

Eucharistia.

Sacerrimam Eucharistiam perficiunt Rutheni, credito et peracto vero Missæ sacrificio, in separatim consecratis et *transsubstantiatione* nec dubitata specierum panis (fermentati) et vini, in verum permansurumque Christi corpus et sanguinem, vi verborum a vero presbytero proferendorum, ritu græco, nihilo taxando. Materia ergo est panis triticeus et vinum. Forma a pluribus creditur in deprecatoriis verbis liturgiæ consistere; et ita vidi Moscuae in schola proponi pro sustinenda theolo-

gica thesi, quam tamen coram me non contigit impugnari. Satis discussum id in Florentina synodo catholice exposuere sapientes Græci : quod historia, dogmaticas controversias cum non decidat, ad tractatum de Sacramentis remittit. Consecrant tamen, etsi in hoc errantes Græci : quia Christi verba non omittentes, consecrare intendunt juxta generalem fidem Ecclesiæ, qua non deficiente, non obest ignorantia aut error legitimi et veri ministri ; sicut si baptizans sub vera forma et intentione Ecclesiæ putaret aliqua ex orationibus lavacrum consequentibus sacramentum fieri. Nec in materia æquivocetur aliquis (sicut quosdam audivi), putans vinum purissimum Rutheno-Græcos consecrare, cum legit aquam calidam adhiberi calici sacro sumendo, peracto sacrificio. Ritus siquidem iste (de quo postea) non tollit a Græcis sacram traditionem miscendi consecrando vino tantillum aquæ ; juxta quam in liturgia (apud Goar. n. 40) præparat diaconus calicem, infundens vinum manu dextera, simulque aquam sinistra. Imo Græcum celebrantem vidi junior Barcinone, cui objeci post sacrum, nimiam meo videri infusam ab eo aquam, quasi destructuram vini substantiam consecrationi requisitam ; ad quod tantum levissime respondit : vinum esse sibi ingratum. Adhibent Rutheni in initio aquam, copiosiore Latinis, sed quam vinum per-

mittit (regulariter eis non displicens), rituali græca prudentia.

Antiquis Ruthenis vinum infrequens (sicut cum exteris commercium, potusque alius a succis Moscoviticis : *piva* cerevisia, *meotki* hydromele, *quass* aqua cum modico farinæ decocta, *vodka* spiritu frumenti distillati et aliis); nec aliud notum (sicut mox conjiciam) quam rubrum, ex Valachia, sicuti advehitur adhuc, forte deductum. Vinum extra sacramentum sacrificium nemo sumebat ad usum : quasi nefas judicasset simplicitas, in festivum poculum, indeque in cræpulam, applicari materiam aptam ad Christi sanguinem; maxime inspecto etiam colore ipso rubro, quo tantum utuntur in sacrificio, quasi ad significandum sanguinem congruentiori. Nec panis exemplum, veluti vulgaris alimenti extra sacramentum, eos edocebat, ut similiter vinum biberent : quia raritas, pretium, et nullus antea usus, specialius reservabant vinum, usui communi non applicandum. Devenit aliunde per mercatores in Archangeli portum vinum album; quoad exterorum exemplum uterentur ad potum, minime ad sacrificium. Nec nomen vini ei datum est, quo vocabatur rubrum; sed *rensko*, quia (derivatione ruthena) sic appellarunt rhenanum, quia vinum fuit ex Rheno, sicuti hispanum vocassent *spansko*, italicum *italska*, etc. quod nomen *renska* servat

hodie vinum usuale quodvis in Russia; vinum autem propria slavonica lingua dicitur *вина*. Huic conjecturæ fundandæ, curavi mihi legi in sacris libris versionem slavonicam, et audiui verti vinum per *вина*, quod hodie dicitur ab omnibus *renska*. Noto itaque vino albo ad potum, rubrum nemo bibebat, servatum ad sacrificia. Mansit usus sacrificandi in solo rubro; sed devenit istud tandem non ita reservatum sicuti antea; quia in usu, divites qui possunt, bibunt et album et rubrum, *renska* vocantes jam quodcumque vinum. Consecrato jam calici ante hujus usum adhibetur aqua calefacta, sive thuribuli prunis, sive cerei flammæ applicato prius urceolo: quo vinum tepescat denuo delutum, sed mixto aquæ modico manens vinum. Designari in calefacta aqua speratum per sumenda mysteria Spiritus Sancti fervorem dixerè quidam; symbolum dari exeuntis sanguinis et aquæ cum calore aliquo ab aperto latere Christi mortui, mystice representati in sacrificio Missæ, explicant alii Græci: circa quæ nil non laudat Ecclesia. Cuncta Goarius exposuit (not. ad liturg. Chrysostomi), quæ ego pariter ad tractatum de Sacramentis remitto.

Perficiunt consummatione sacrificium, clausis sanctuarii januis, una celebrantes, juxta solemnitates et loca, sive episcopi plures, sive archimandritæ, sive presbyteri, cum diaconis et subdiaconis

(sicut inter Latinos, ordinati sacerdotes plures cum ordinante episcopo). Interim meditaturus populus extra, sacrificii ritum percipit ex vocibus quas audire licet ab occlusis celebrantibus, et extra portas modulantibus cantoribus. Inter sacrificantes (cum quibus frequenter inter sanctuarium adstiti), præses degustatam panis sacri speciem distribuit gradu suo et ordine cæteris. Devotissime accedunt singuli, extensis manibus, dextera alteri superposita, sursum versis palmis, et in crucis forma locatis. Ex patena sumptam duobus digitis particulam palmæ communicantium apponit; sicque ad suum locum reduces, mysterio aliquantulum meditato, manibus ad os ductis communicant presbyteri et diaconi. Ad sacrum calicem degustandum, eundem repetunt ordinem. Præses extremum veli quod tangebatur calicem collo appendit, eodemque calicem duabus manibus accipiens, trino haustu sanguinem sumit; deponensque super altare calicem, primo ad se accedenti velum, postquam labia detersit ipse, tradit: qui eadem cæremonia vinum sumens, reponit calicem, et alteri suo ordine velum tribuit. Calicem tandem accipit et degustat diaconus; sumensque sacrum discum seu patenam, particulas, quas *margaritas* vocant, calici immittit, quem reserato sanctuario capiti superpositum populo offert: ut si communicaturi adsunt, eis cum cochleari

utramque simul speciem commixtam sacerdos porrigat. Panis sacri particulæ Christi sanguine tinctæ, extractæ, et super sacrum discum, adhibito subitus igne, siccatae, reponuntur in sacrario, feria quinta in Cœna Domini, servandæ per totum annum in moribundorum Viaticum; et omni dominica quadragesimæ, ad officium Præsantificatorum sequentis hebdomadæ. Tandem diaconus, reliquis ore sumptis, calicem purificat et rituale officium distribuendi panem benedictum, unde consecratus scissus fuerat, prius a subdiacono in fragmenta sectum pro populo, et reliqua cum presbytero complet.

Ritum hunc et ab orthodoxis et ab heterodoxis pennis tueri, historia alio ablegat. Latinis certe inhibuit Paschalis II Papa (epist. 32) novitatem quorundam intincto pane communicantium; retinendumque præcepit usum separatarum specierum, Christi institutioni congruentiorem. Græcum autem ritum nunquam Ecclesia Romana judicavit non pium; unde culpa non caret Orthodoxus eum censens taxandum. Separatum non dari corpus Græcis laicis, pie cautum esse a Chrysostomo, scribunt plures (penes Goarium, not. 139, in Miss. Chrysost.), detecta fraude impiæ fœminæ micam sacram ab ore extrahentis, communionem aliam ab hæreticis accepturæ: unde sanctus ille præsul cochleari dandam communionem instituerit, quo reli-

quiae sacri panis, in vino, vix non dissolvendae, semel ori admotae nulli ad minus subjacerent irreverentiae. Ab heterodoxis defendendum insuper servo ad tractatum de Sacramentis, usum catholicum Latinorum communicandi laicos sub una specie, oppugnatum infundatissime, Graecorum (nec sine quorundam scriptis) exemplo. Nullus erit Graecus, catechismum suum ad minus qui sapiat, *transubstantiatione* nec dubitabili separatim consecratarum specierum, unaquaque contentum, sumendumque ambigens totum Christum; indeque nemo Graecus male a Latinis rythmum Thomisticum audiet: *caro cibus, sanguis potus, manet tamen, Christus, totus, sub utraque specie*. Quod etsi plures (sicut proponi defendendum pro thesi vidi Moscuae ab archimandrita, assuetiori veritatem exponere, quam tueri) teneant, praecipuum esse Christi indispensabile, integris speciebus omnes sumere corpus Domini: nisi epim manducaverimus carnem filii hominis, et biberimus ejus sanguinem, ait, non habituros vitam: aut ad materialissimum manducandi et bibendi actum recurrentes, negare debent in siccato inticto pane, ritu graeco, recte communicaturos viros aegrotos; aut delibato vino sacro, sicut alicubi Graeci porrigunt infantibus; aut fere dissolutis in vino *margaritis*, combibendis potius, quam edendis, dubiam relinquerent sanctam

communione Græcorum; quam non tam error inficiaturus est, quam stupiditas. Quod si communicantes id in *commemorationem* Christi, sive passi, sive in sacramento Deo oblati, *facturi* simus; libenter utramque speciem præceptam fatemur, ut sacramentum *fat*; minime ut sumptum, totum Christum exhibeat. Id (fusus hic non tractandum) credere, Moscovitas audiivi plures, idque de pio Græcorum et Latinorum usu inferre tenentur Novatores nostri; quorum progenitoribus negantibus in una specie Christum, debetur præcepta solum in una specie laicis communio, relicta Græcis sub duplici, inter quos error ille non viguit; permixta tamen, ne expertæ irreverentiæ repetantur, ut diximus.

Sacra tandem communio defertur in Russia, tanquam Viaticum, moribundis ægrotis. (juxta ea quæ scripsimus circa quæst. XC) (1) ad hunc finem servata in siccati panis specie per totum annum; quæ delata madefit iterum vini non consecrati guttulis, commodiori ægrotantis communioni paranda. Miratus tamen, quod nunquam in populosissima Moscuae urbe sacram Eucharistiam publice delatam invenerim, sciscitatusque causam audiivi: plures communicandos, etiam ægrotos, ad vicinius templum hora missæ deferri (sed neque hoc vidi): ad

(1) Append. VII.

alios, extemplo finita missa, eundem calicem communi populo exhibitum, parochum asportare (sed neque hoc inveni); nec credo ita occulte id faciendum, ut non innotesceret millies. Fateor Orientales et Septentrionales minorem ac nos in ægrotis ostendere formidinem, ne minorem taxem in ægrotorum corporibus medendis curam. Pro Extrema Unctione Goarius observat (in fine var. lect. officii Olei, observat. 7, pag. 348), *finita missa, infirmum ungi, sive in ecclesia, si aliquatenus valeat, sive in domo, si vires illi deficiant*. Credendumque inde reddit, potius deduci in ecclesiam communicandos, quam languidiores in extremis ungendos. Ex his tamen quæ ipse in Russia vidi, segnem incuriam vereor; qua vix ullus erit rusticus, qui medicum advocet; unde pauci mortis periculum noscent, et plurimi forsitan citius parochum adient pro sepeliendo jam mortuo, qui sine Viatico sacro discesserit. Errata unde qualibet evenerint, Deus corrigat.

CAPUT XII.

Pœnitentia.

Pœnitentiam individua peccatorum secreta confessione Rutheni perficiunt. Raro sedentes, sicut de Græcis scribit Goarius : stantes minister et pœnitens sacramentum absolvunt. Confessarius peccata audit, tenens manibus librum : quo et peccati speciem noscat, et satisfactionem juxta canones taxandam pœnitentibus memoret.

Nec pœnitentia publica primitivæ Ecclesiæ est in usu, nec canones pœnitentiales in antiquo rigore. Privatio a sacra Eucharistia tamen ob plura crimina viget, maxime in eos qui jejunia quadragesimalia non servarunt ; tantique ducitur culpa omissentium confessionem et communionem ante paschalem, quam in præcepto habent, ut eis per annum integrum interdicator ingressus in ecclesiam. Cum hic prohibetur, non fit ita ut pœnitens nunquam templum adeat, sed ut interior templi pars sicut cæteris sibi non liceat. Hæc tamen pœnitentia, quæ vix publica non esset, ab usu fere defecit. Præcipi confessionem sacramentalem semel in anno ; con-

suli quater, imo et frequentius, diximus circa quæst. XC. Sigillum confessarii nemo contra Ruthenos inficiabitur, nisi garrulus. Si in administranda, inquam, pœnitentia constaret ministri defectus, puniretur ab episcopis; si ab ea rite peragenda deficit pœnitens, habetur ut sacrilegus. Formam hujus Sacramenti, ritu græco prolatam, examinabimus, cum de eo [tractandum erit].

CAPUT XXI.

Extrema Unctio.

Sicut tota et Græca et Latina Ecclesia, verum sacramentum Extremæ Unctionis fatetur Ruthena. Hanc oleo benedicto a sacerdotibus (uno uncturò, vel pluribus, juxta græcas rubricas) ægròtis impertitur paròchus, diverso et solemniori ritu ac inter Latinos; eisdem autem fine et sacramenti veri substantia. Nec ab episcopis consecratam requiri inter Græcos olei hujus sacri materiam; benedictam autem a sacerdote sufficere, declaravit Latinis Cle-

mens VIII. *In instruct. ad episc. Latinos*, tit. *circa Ol. S. infirm.* penes Arcudium lib. 5, cap. 2, et ex isto Goar, ubi supra, not. 22. pag. 358.) Nec unctionem cum S. Oleo consecrato ab episcopo feria V. in Cœna Domini exhibitum communiter adstanti populo, sacramentum credunt Rutheni, sed pium usum pro sanandis ægreditudinibus animorum, ut communitio sanctumque Pascha celebretur devotius. Quod, præter ea quæ notavit Goarius, explicabo exemplo usus Cataloniae nostræ provinciæ, ubi benedicti semel fontis baptismalis, in sabbatis utriusque Paschæ, priusquam adhibeatur oleum sanctum ad usum annum, nedum aspergitur aqua circumstans populus, sed ex ea bibunt adstantes, deferturque in phialis et amphoris devote eam hausturis absentibus; quin putemus, aut inesse aquæ illi baptismalem, aut eidem deesse divinam lustralis aquæ virtutem, levibus animarum expiandis sordibus utilem. Singularis antiquiorum Ruthenorum (correctus jamdiu si fuit, quemque ego vix credam) qui legitur (ignorantia potius quam) error omne dubium tollit, quod nunquam ministrandum sacramentum hoc, nisi in extrema valde necessitate crediderint. Accusantur etenim, ita semel extreme unctos ægrotos æstimate morti adjudicatos, rebusque cunctis humanis, valedixisse, ut post S. Oleum, nec ullam medicinam, nec levissimum adhuc eis largiti fuerit ali-

mentum. Hinc inferamus, quantum Extremam hanc existimaverint Unctionem : ut neextrema unquam non esset, vel fames, vel morbus, sequendam illatura esset unctis sacro hoc oleo mortem. Consultius concipiunt hodie Rutheni mortis tempus incertum : ne, vitaturi tyrannidem, aut ægrotos sacro oleo privent, citius morituros quam credant; aut cum unctione sacra eisdem inevitabilis tunc mortis videantur decrevisse sententiam. Alunt siquidem ægrotum etsi unctum, eique medelam corporalem non subtrahunt, quem forte *alleviandum* etiam corpore a *Domino*, juxta Jacobi monitum, non diffidunt.

CAPUT XIV.

Ordo sacer.

Ordinis sacramentum Rutheni credunt riteque conferunt. Veris episcopis e Græcia rite missis fundatam Ecclesiam in Russia vidimus : a quibus, sicut in Græcia, successores veri habentur ministri apostolici. Ordo sacer ab episcopis jure divino confe-

rendus, jure canonico administratus ; gradus omnes hierarchiæ et ministerii ecclesiastici exhibens (quos supra cap. II et III retulimus), successione non interrupta, integer perseverat in Russia. Per impositionem manuum, materiis, formis, ritibus, precibus, diversis gradibus congruentibus, a Græcis mutuata solemnitate, confertur : nec despectus habetur (sicut Ordinis sacri contemptores heterodoxi scriptitant), sed veneratus, et in solemnibus et in privatis sacris exercitiis præstat, requirente ruthena plebe benedictionem simplicis presbyteri, casu in viis inventi. Qui legerit, plures ex presbyteris esse pauperrimos, operibusque extra sacra mechanicis, in pagis maxime, deditos, aut nonnunquam et abjicientes se, et a quibusdam neglectos defectus particulares, nullos inter homines defuturos, in communem ecclesiam non refundat. *Væ autem ei, latino pariter, per quem scandalum venit* : necessario sequendum, justius detestandum. Videantur quæ scripsimus circa quæst. LXXXIX (1) de præcepta virorum patrumque spiritualium observantia ; ne praxis hujus in Russia communis sit a nobis denuo repetenda.

(1) Cfr Append. VIII.

CAPUT XV.

Matrimonii celebritas.

Ante matrimonium, creditum a Ruthenis verum Ecclesiae sacramentum, praecedit sponsaliti-um. Utrumque benedicitur, ritu græco, solemn-ia ecclesiastica cæremonia; frequentius diversis actibus et diebus, quandoque eodem. Matrimonii solemnitas habet vetita tempora; sponsaliti-um nullum. Videantur qua dixi circa quæst. XCV (4); ubi retuli, quod nec pro Imperatore Russiæ fuerit vetitum Ecclesiae dispensatum: cujus desponsati mors præcurrens, dilatas nuptias in funera vertens, sponsam salutata solemniter imperatorem exulem cum tota familia fecerit in Siberiam.

Sponsaliti-um græce *subarrhatio* dicitur; matrimonium, *coronatio*. Quasi pro arrhabone contrahendi promissi matrimonii, requisita utriusque voluntate, benedictos annulos a presbytero traditos, mutuo osculo, ter permutant futuri conjuges, adhibito paranymphe, uno vel pluribus, quasi solemnitatis

(1) Vid. Append. IX.

nuptiarum vel superintendentibus, vel testibus. Compertes die matrimonii desponsatos ritus græcus coronat hoc modo : benedictas coronas eis imponit presbyter, additis ex ritu verbis : *Coronatur servus Dei N. propter ancillam Dei. In nomine Patris, etc. Coronatur ancilla Dei propter etc.* In quo consistere sacramentum cum sit indubium, occasionem dedit Græcis et Ruthenis iudicandi, sacerdotem esse ministrum. Matrimonium autem efficere ipsos recipientes coronas, explicavit Goarius, nosque cap. sequ. ex Græcorum principiis convincemus ulterius. Inter preces, fusas satis in Rituali, benedictum vinum, ter unusquisque delibant : primo presbyter, secundo vir, tertio uxor. Mox præeuntem sacerdotem et canentem, quasi choream ducturi, sequuntur conjuges et post istos paraymphæ, sive pronubi, eisdem gressibus, coronas capiti conjugum supergestantes; sicque girum trinum in templo perficiunt : depositisque coronis, in domum viri ducuntur a pronubis.

Hucusque græca sacra sunt cuncta, in Rituali legenda. Dicam nunc, quid non expressum in Euthologio, habentibus Ruthenis viderim, priusquam scripta contra veritatem a quibusdam refellam. Sponsam velata facie vidi complere cæremoniam, semelque elevato velo, juxta ritum, os applicasse ad conjugis osculum, in quo sociam pii ritus lau-

dabo modestiam. Nuptam jam, ante egressum e templo, presbytero in sacristiam reduce, adstantes eam excepere fœminæ; quam lacrymis ejulantem, ad templi angulum appensum post pannum conduxere. Fletus continuati ignoratam requirens causam, audivi sequentem : pectitorum crinium comptu (dixit quidam) hic distinguuntur, alio virgo, alio nuptæ; quem mutare mos est semel rato conjugio: munusque id sibi sumunt fœminæ, auferendi comam virginæ, ut nuptæ quæ jam est signum offerat nuptard unroprum capillitium. Facit autem ipsa quod cæteræ : fletum, in perdendo eo virginitatis caractere, saltem fingere. Capillatura mutata, in domum viri ducit uxorem communis societas; ubi festum agitur civilisque solemnitas. Eo plures nuptialem thalamum benedicturum advocant parochum. Benedictionem hanc cum Euchologium græcum non exhibeat, sed orationem aliam *pro coronis solvendis*, seu finito nuptiali festo post octiduum : vel orationes rituales in domo parochus repetet, vel singularem Rutheni habebunt, vel communem benedicendæ domus adaptabunt.

Sordescit hinc nonnullorum calamus in consequentibus, plus referens libidinosæ mentis auctorum somnia, quam vera Ruthenorum nubentium facta civilia : nam ut hæc fictis obscenitatibus maculent, sacra polluere non horrent. Qui aiunt, nup-

tis consummaturis matrimonium, sacerdotem ruthenum eos occludere, et cubili adstantem proxime, finem expectare; terminatur sacris metriculis hymen: impudentiam superaddunt mendacio. Qui id relatum sibi credere dixerit, stoliditatem ostendet gratam auctori. Cætera nec tango: ut quid enim insectarer eos, qui, si in uno Rutheno scabiem viderint, totam immundam inferunt Russiam? Putridam nonne sic illaturi, in nationes alias increparent Rutheni vindices lepram? Ecquænam est, in cujus civiles mores plurimum non irreperit vitium?

CAPUT XVI.

Bigamia, trigamia, etc.

Damnasse secundas nuptias refertur item de Ruthenis communiter: quæ tamen accusatio ipsa se ostendit injustam. Nec enim nuptias, sed meretricium dicerent, quod Ecclesia non sacraret; nec ista eas damnans, secundas nuptias benediceret. Socios

habuere Rutheni, imo magistros Græcos; quorum plures, nuptias secundas damnarent, tertias detestarentur, quartas vix unquam ignoscendas proscriberent. Canon patr. Cpolitani Nicephori producitur, quo bigamos non coronari, ac biennio privari Eucharistia disponebatur, sicut quinquennio trigamos, (indefinite nec nominatis quatrigamis). Hinc nedum easdem licitas judicatas infero, sed etiam eas sine Ecclesiæ interventu contractas; matrimonii sacramenti ministros, non presbyteros, sed nubentes ipsos apud Græcos ostendere (quod unice non observavit Goarius videndus cap. et offic. *de bigamis*). Primo enim Neocæsar. synodus, quæ can. VII, *presbyteros vetat convivas esse in bigami nuptiis, ne propter convivium videantur eis consentire*, Can. III : *his qui sæpius nubunt, ex conversatione tempus pœnitentiæ constitutum abbreviat*; nunquam vero eos non nuptos dicit, cum quibus Ecclesia nec astitit, nec consensit: eos ergo ministros agnoscit. Dicitur secundo, can. 4. Laodicensi : *eos qui LIBERE* (ecce eas licitas) *et LEGITIME* (en sine sacerdote sacramentaliter ratas) *secundis nuptiis juncti sunt, NEC OCCULTAM PERMISSIONEM operati sunt* (vide licitum non benedicti tori publicum usum, sine sacramento nunquam a peccato liberandum) *pauco tempore exempto, vacare orationibus et jejuniis, et secundum veniam reddi eis communionem*. Ratas ergo secundas nuptias Ecclesia

græca nunquam negans, homines tamen carni minus proclives desiderans, unitatique indivisi amoris ad unam sponsam (sicut Christi ad Ecclesiam) intendens, et bigamis non benedicebat, et eos veluti carnales ad tempus a communione privabat. Et hoc modo æmulaturos monogamiæ cœlibatum Ruthenos instruxerat. Correctam itaque a Græcis severitatem pariter Rutheni amplexantur; benedicentes hi et coronantes in ecclesia bigamos, eadem liturgia qua hodie Græci. Eam vertit Goarius, orationibus specialibus rogantem pro ignoscenda fragilitate carnis in bigamo. Et quia in græca liturgia sequentem cæremoniam non invenio, singularem esse Ruthenorum conjicio: quod primo nubentes coronentur in interiori templi parte, versus sanctuarium; bigami in ingressu, trigami ipsis in januis, cæteroquin in atrio ante gradus ecclesiæ. Nec dubium est pariter fieri cum dominis, sicuti expertus fuit tertio nubens quidam noster servus. Nuptias itaque repeti, Rutheni non damnant, sed viduitatem cœlibem plus commendant.

CAPUT XVII.

Matrimonii dissolutio quoad vinculum.

Errant nihilominus inexcusabiliter Rutheni circa matrimonium, ducti tot retro sæculis, ut amboeciderint, a cæcitate Græcorum. Quis non mirabitur, eos qui secundas nuptias solutorum vix non reprobarunt, easdem conjugè adultera superstite in viris approbasse : bigamiam, inquam, pœnitentiali canoni subjecisse, polygamiam flexo Evangelio legitimasse? Prodigum hic fateor ostendi eundem zelum libidini, quem immoderate parcum vidimus naturæ infirmitati. Nec aliunde conjiciam erroris ortum longævumque fomentum, quam ex patrocinandâ voluptate dominantium : frequentioris siquidem adulterii, inter nobiles, audacter insimulata paupertas : quæsitis illustriorum tantum in Moscovia, sicut vidi (idemque credam in Græcia), divortiis, vim repellit; hæcque Evangelio inferenda, nunquam a plebicolis stimulata adulterasse Evangelium jactitasset, nervis nisi aulicis viguisset. Inter Latinos, disjungi conjuges contingit, non dissolvi : vitatur pollutus torus, sed indissolubilis manet nexus ;

vinculum non rumpi, semper fuit creditum; post synodum Tridentinam est dogma decisum.

In oppositum, dissolubile, imo dissolvendum matrimonii vinculum Moscovitæ cum Græcis sustinent, adulteraturis impune viris et liberandis, quoties adulterasse deprehendant uxores. Harum non paucas credam, sicut audivi, adulteris quæsitis, a viris ipsis (desiderato divortio) expositas; plures vero adulterio nec plene convicto, vi illata confesso, conducto jactante crimen confictum adultero teste, vel aliter insimulato, dimissas. Utque barbaro universim, profano et civili virorum præ feminis adulterantium privilegio christianum arrogatum associant, et *fornicationis causam excepisse Christum* (Matth. V. 32 et XIX, 9) pro solvendo ob eam conjugio exponunt, et *viros* solum in uxore relinquenda liberos eundem reliquisse: feminas, e contra, adulteros quantum viris libeat dissimulaturas, decrevisse Christum autumant. Primi in causa fornicationis commenti fundamentum allegant: quia Christus *mæchum* damnaverit quemcumque dimittentem uxorem aliamque ducentem, *nisi ob fornicationem*, indeque hanc exceperit. Qui tamen dimitti adulteram concedens, aliam ducere nullo casu intellexit, cum inseparabiles ab homine esse dixerit, quos Deus conjunxit: id est, torum pollutum vitare non prohibens, divinum indissolubile vinculum ob-

jecit (circa quod fusioem tractatum de Sacramentis exspecto). Secundæ severioris in feminas (æque ac viros fragiles, nec sine eis futuras adulteras) christianæ legis motivum aliud (sacrum) nullum allegant Græci, quam quod Christus *viros* verbis expressit, non feminas : ut has fornicarias, et dimittendas, et innubiles viri declararent ; viros autem æque peccantes feminæ sufferrent. Quo arguentes cavillo, pessime inferrent feminæ græcæ, se non mœchaturas in corde suo, si visum virum concupierint, quia expressa Christi sententia (Matth. V, 28) : *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam* (igitur homo), *jam mœchatus est eam in corde suo* ; quod decretum mulieres peccaturæ interius, allegarent omissum. (Sed de his alibi, ubi disparitates has sexuum, quas fortiores viri fecerunt politicas, videbimus exiliatas a sacris Evangelii legibus)

His errantem fidem expositionibus quot scandalis subjectam non videbimus sub onere matrimonii, in Græciæ et Moscoviæ dominis ? Adulteria isti dicent uxorum immodestia signa levissima : accrescente in ipsas crimina, potentium virorum aut fastidio uxoris, aut zelotypia. Adulteria vero publiciora quarumdam feret oculatiorum plebicolarum inopia ; cunctorumque statuum viros nec tegere adulteria movebit impune increpanda ab uxoribus culpa. Tres meminisse mihi tantum liceat

ex Russia (cunctos nobiles), publice, in facie Ecclesiæ aliis nuptos, viventibus primis uxoribus, ob convictum adulterium juxta morem ad monachatum damnatis. Quas crimine indubio, melius carceri recludendas decernerem, ut vitarem lupanaria, quam monasterio; ne earum immodesta saltim mente, forteque corpore, polluerem claustra: aperienda solum adulteris plene correctæ libidine, eligendaque, plusquam aliena vi, propria voluntate (quidquid in contrarium, erudite etsi scripserit Nicolaus Comnenus, Græcus, Prænot. Mystag. resp. 5. sect. 2, num. 4). Pauperem, inquam, polygamum vidi nullum in Russia. Nobiles, ad honestandam polygamiam quærendumque ecclesiæ ipsorum ad incontinentiam asylum, in ævi nostri Imperante decorandum tuebuntur exemplar.

Repudiatam a Petro I, constitutamque in monasterio *Devitza* Moscuæ, reliqui viventem, quæ nuper decessit, uxorem ejus primam, *Eudoxiam Fedorovnam Lopuchin*. Hanc adulterium confessam, adultero tamen exquisitoribus tormentis a crimine negando inflexo, confessionemque complicitis femineo tormentorum metui tribuente, imperanti ipsi Petro e palo, cui tandem affixus triduo vixit, tyrannidem objurgante, inauditaque constantia scelus non leviter dubium relinquente, Petrus ille in cæteris Magnus dimittens, *Catharinum Albendii Petrownam*, in

facie Ecclesiæ desponsavit; thronoque, nemine obstituto, successuram Ruthenis præfecit, quibus de facto post Petrum I biennio imperavit. Prolem itaque ex secunda uxore (ambobus supervivente conjugè prima) legitimatam mundus agnovit in civilibus; Ecclesia vero Ruthena, quæ subsequens matrimonium benedixit, quæ matrem jamdiu filiarum, Imperatricem juxta sacrum ritum coronavit et unxit, circa prolem habitam nil decrevit. Rationes ad utrumque historiæ si taceant, Annales computusque natalium communes ostendent.

CAPUT XVIII.

Matrimonia cum extraneis.

Alterius religionis conjuges rutheni non approbant, sed neque irritanda cum eis matrimonia dicunt. Exemplum Aula datura præivit : quomodo nuptias similes inferiorum Ecclesia damnaret? Infrequentes eæ sunt ; sed omni fere statui vidi eas communes. Has non benedicere eorum Ecclesiam certum est, quod exteri non quærerent ; feminam

tamen, nisi ex familia Imperante, extra Russiam nupsisse audivi nullam : unde nec ipsæ exteris nuptæ suam relinquunt Ecclesiam, nec earum viros ad eam compellunt. Curare vero valde, prolem omnem ruthenæ mulieris baptizari in ejus Ecclesia educarique in ejus fide, dicentes quod partus sequatur uterum, est certissimum. Si tamen pater semel filium in alia Ecclesia baptizaverit, feminam ecclesiastici increpant, baptismum tamen non repetunt.

Scotum novi quemdam catholicum, majoris gradus in militia officialem Smolensci ; cujus quando-cumque peperisset uxor ruthena, baptizari filium volens in sua Ecclesia, patrem quasi ad id compelli procurabat per civitatis episcopum. Restitit semper pater, nullum etsi habens ibi presbyterum catholicum ; dicens, nec filios velle subjiciendos alteri quam suæ Ecclesiæ, ideoque nec baptizatos a rutheno ministro : hunc rite baptizaturum non dubitans, sed quia cogendum inde sciebat filium ad eorum Ecclesiam, quod ipse volebat. Urgente cum matre semper episcopo, natos vix duos successive filios pater clam secum ducens, ac ad primam Polonorum confinium urbem *Orki* pergens, baptizatos eos a catholico parochio in domum restituit, sicque et episcopi et matris conatus elusit ; nec aliter se unquam facturum, episcopo in vanum mi-

nanti repetita vice respondit. Militare Russiæ se spondisse, aiebat, libero sibi exercitio catholici ; in quo curam spiritualem filiorum includens, nec episcopo nec synodo tenebatur obsequi, nec ab aula timebat compelli ; semelque baptizatos pueros habens, cunctorum vitabat ulteriores molestias.

Gravem hic Scotus corrigebat errorem catholicorum plurium, matrimonia cum hæreticis contrahentium, ubi commixti vivunt, expresso pacto dividendæ juxta conjugum sexus prolis ad religionem, ita ut patrem sequantur hæreticum filii, matremque filiæ. Quis enim esse malum ex natura sua non dicet, filium aut filiam pacto expresso destinare ad perversam fidem? Matrimonia ita paciscentium dicam valida, sed illicita ; peccareque et contrahentes, et gravius, permittentes sic fieri, assistentes parochos ; detestandumque asseram a cunctis catholicis scandalum, quod infernus populandus inter plures septentrionales fecit vix non communem. Tolerabilius dicerem, contrahi sine pacto aliquo, spectanda electione libera filiorum in adulta ætate : si tamen parens catholicus adlaborare non omitteret efficacia sibi possibili pro salute prolis, sperans a Deo se adjuvandum pro salvandis filiis. Si enim cum hæretico seductionem procurante vivere nec licet conjugii : quanto minus poterit fidelis certo huic cooperari ad hoc, ut fiat hæreticus filius,

cujus sexus futurus non est in electione patris vel matris? Nec sufferri meretur stupiditas dicentium, quod Papa ad talia matrimonia dispensaverit : malum enim quod est ex se, nequit Papa licitum reddere. Matrimonia illa esse valida decidet quivis ; licita nemo dicet, qui saltem vocari velit theologus.

CAPUT IX.

Matrimonium dubium Rutheni bigami cum soluta catholica.

Juxta dicta, notabilis ecce casus, ad quem Moscuzæ fui consultus : ex Ruthenorum praxi inconsequenter decisis ab ipsis, ex catholicorum principiis nec minimum dubius. *Titius*, nobilissimus Ruthenus, repudiata uxore adultera solemnique judicio in monasterio inclusa, abiit ex Russia. Procul inde *Bertam*, Italiam catholicam, amore captus, liberam ac consentientem sibi copulavit uxorem. Iste bona fide (suæ Ecclesiæ more) judicavit se liberum. Femina, ut aiebat, nec minori consensit in matrimonium. Redux nuptus hic Ruthenus incautam

amicam traduxit in Russiam, quam, sive quia catholicam, sive ob ignobilitatem, sive ob motivum aliud, male aspiciens viri cognatio, illiciteque ductam accusans, nec uxorem eam fateri voluit, sed despiciere concubinam. Segregandum esse dicentes Rutheni, approbatores habuere iudices, nullas ac irritas decernentes græco-latinas has ambiguas nuptias. Rationem hanc dedere : debuisse nempe virum in facie suæ Ecclesiæ celebrasse, cujus tantum iudicio fuerat solutus a prima uxore; minime in alia Ecclesia, cujus sensu incapax nubendi esset. Recurrit ad me pro femina (quam non novi, viderim etsi in templo nostro) catholicus quidam, ut feminæ id sciscitanti consulerem. « Inconsequens, respondi, concipio Ruthenorum iudicium; qui liberum antea ab omni vinculo decernentes hominem, alligatum secundo negent contrahentem cum soluta femina matrimonium : vel etenim cunctos irritè cum catholicis dicant nubere, vel alligatum hunc ne uxorem quærat; vel ejusdem contractum rite exstitisse negare non possunt. Nos autem qui indissolubile matrimonium christianorum dicimus, nunquam nuptam fuisse feminam hanc inferimus, existente ex parte viri impedimento ligaminis, nec potuisse eam cohabitare ex quo scivit vivere primam viri uxorem; licet ex ignorantia non peccaverit antea, sive nesciens eum nuptum, sive ignorans

ligaminis vim, sive putans istud rite solutum a Græcis; in quo non peccat ignorantia invincibilis.»

Satis hic diximus de Sacramentis, alibi de eis tractaturi extensius.

CAPUT XX.

Cultus Sanctorum, imaginum, reliquiarum, sanctorum etc.

Post adorationem veri Dei in Sacramentis, religiosissime colunt Rutheni ejusdem Sanctos. Hos pie orant, quos credunt apud Deum intercessuros, nec negato transitivo cultu eorum signis, reliquiis et sacris locis. Sanctam amplectuntur synodum œcumenicam VII, damnantem Iconomachos, quos ipsi proscribunt. Nationales colunt sicut Sanctos plures, quibus duo præfulgent: alius vocatus *Sergius*, in magno monasterio *Troitzæ*, cujus archimandrita exstitit; alius Petropoli, dictus *Alexander Nevski*. Qui vivens et precibus et armis liberavit Moscovitiam, tum a Suecis bis ab ipso devictis circa fluvium *Neva*, unde dictus et *Nevski*; tum a Tartaris, a

quorum iugo tributario suum ducatum vindicavit; decedensque medio sæculo XIII a Ruthenis veluti Sanctus colitur; erecto sibi templo et magnifico cœnobio ad littus fluvii Neva. Cujus honori addidit Petrus I equestrem nationalium ordinem: fasciatis sodalibus purpurea ex serico tænia (sicuti alii S. Andree, cærulea) ab humero dextro ad sinistrum latus sustinente pendente crucem, in ordinis stemma. Corpora monachorum plurium venerationi exhibita: antiquiora conservat Kiovia, ubi celebratur venerabilis Crypta; recentiora tumulat Mosca, quorum ibi plurima ostenduntur integerrima.

Duplex hic, eaque difficillima, offertur disquisitio. Primo, quinam ex his viris vere Sancti Deoque fruentes sint, ut sine superstitionis vitio coli possent, servatis canonicis legibus. Secundo, num eos, quos ecclesia Ruthena, vere Sancti qui sint, venerandos proponit, colere possimus catholici, ipsos orare adorareque dulia, sicut alias eorum reliquias. Nec enim quemcumque pie beatum credimus, orare possumus sine propositione Ecclesiæ; neque cunctos damnatos dicerem, ex eis qui apud Græcos et Ruthenos veluti Sancti habiti sunt post enatum schisma, qui tamen vires schismati non dederint; neque cunctos eos beatos credam, quos populus christianus schismaticus tanquam Sanctos commendat. Supposito itaque posse peccare fide-

lem in Sanctorum cultu, et superstitiose in prima parte, æstimantem Sanctum eum qui obiit impius; et inobedienter, non expectatis ad viri pietatem indubiam, Ecclesiæ (specialiter ad hoc a Deo directæ) praxi et legibus : errare Ruthenos fateor, et plures exponentes Sanctos, quorum non est explorata sat pietas; et prætermisissis ad solemnitatem cultus habendam tam priscis quam novissimis legibus. Vix non derisam a prænominato Romifuga Theophane, archiep. Novogorodiensi, præsentem in Rituum Congregatione praxim romanam in canonizandis Sanctis, non semel apud ipsum conversatus sustinui. Cui, permissa sibi æqua Dei versus Ecclesiam particularem assistentia pro Græcorum aut Ruthenorum colendorum pietatis examine, cum exactiores Curia romanæ processus ad evitandas populi pias fraudes objicerem : potius quam sustentatum suæ Ecclesiæ ritum, vix non ab eodem quoque aspernatum audiens, nil accepi quod pro tuenda Ruthenorum devotione referrem.

Miracula plura (fictioni et credulitati tribuendis non paucis) patrata inter Ruthenos, quidni fatear, quæ neque schismati robur, nec ea operantium virtuti fidem adjiciant? Eadem Græcus Nicolaus Comnenus Photianis non negat (Respons. 4, sect. 5), continuandis *gratis gratis datis* in Græcia, tuenda saltem ab opprimente Mahmedis impietate, quam

Christi nomen supervincat. Neque minori providentia Dei dicam, non plene cessare in Russia *operationem virtutum*: salvanda ea ad minus a fœda sordium lutheranarum illuvie, græcæ resurrecturæ Deo auspice pietatis in ritibus, fide et disciplina, ab apostolis genitæ, doctoribus fultæ, purpuratæ martyribus, residuam obruere conante memoriam. Ab his ideo credendis miraculis, veræ pietatis ea operantium aut fidei schismaticorum (in quorum testimonium nulla fieri posse, sed fingi, fateamur Allatio) fallax argumentum nil concluderet, ut rite colendos viros in schismate foto obeuntes inferret. Sed neque Latini cujusque id convinceret criterium, ut nullum salvum pieque defunctum, (cui nec schisma imputetur, juxta dicta in 4 clas. art. ad qu. 5) (1) inter Ruthenos crederemus. Imo quamplures eorum judico, quos profert antiquitas, beatos, servataque si adesset canonizationis solemnitas, exorabiles. Et quia neque plus neque minus dicam de miraculis et Sanctis Ruthenorum, quam Græcorum post schisma, cum prædicto Comneno ubi supra, transcribam Græcum Pantaleonem Ligariidum, alioquin in Latinos non satis justum (epist. 9. ad Allat. in collect. Justinia, lib. 1) : *Hoc portentum, ait, accidit plane mirabile : sacerdos quidam Ru-*

(1) Cf. Append. X.

thenus ad absolutionem tympanitæ (1) excommunicati vocatus, sic orsus est preces : « si bene opinamur detestati impios azymitas et dogmata latina secutos, Domine Deus noster, qui tua ineffabili etc....(reliquum orat. ex Euchologio). Absolutis precibus, consuetum miraculum non evenit (dissolvi scilicet cadaver post absolutionem); sed erat cadaver ut antea in morem tympani inflatum. Supervenerat forte Josaphat, tunc sacerdos et concionator. Hunc orat populus preces resumere et juxta morem perficere. At ille occasione sumpta dixit : « Viri amicissimi Christi, solitum portentum editum non est, ne Deus mentiatur, quod nefas. Agite igitur, discite vera esse, quæ a me vobis prædicantur. » Hæc ubi dixit, sacram induit stolam, exclamatque alta voce : « Si vera credimus, qui docemus Spiritum S. a Patre et Filio procedere, archiepiscopum veteris Romæ, juxta Florentinam synodum, patrem esse ac magistrum omnium christianorum et Christi vicarium, quique ea quæ ipse sentit sentimus : Domine Deus noster etc(Oratio).» Vix autem ea prece peracta, cadaver solutum est, non sine ingenti strepitu, quem populus auxit clamore et fletu. Ecce negata miracula

(1) Tympanitæ vocantur mortui sub majori anathemate, quorum corpora turgentia velut tympanum visa sunt pluries non dissolvi; quomodo integritatem *Petri de Luna* Goarius (not, 4, ad orat. absolutor. post mortem, pag. 547) attribuit anathemati sub quo mortuus est propter schisma [*Ribera*].

eisdem quibus Deus aliunde ea non subtrahit : si expetantur in confirmandos errores favendumque schisma, sicut ab hoc Rutheno in oratione ipsa schismatico. Tales, ut Sanctos, non nisi superstitionissime exponeret Russia, etiamsi aliquis orans juxta pium suæ Ecclesiæ ritum, miraculum faceret tympanitas absolvens : istud etenim sanctas testaretur preces, non virum. Quare, in Romana Ecclesia prius examinantur virtutes Sancti declarandi, quam miracula ; quæ forsitan ab eo etsi impio, veluti Dei ministro, patrata fuerint. Hæc in Russia non deficere, ostendi in meo *Responso Antapologetico ad epist. Buddæi* (sect. IV, n. ult. pag. 466) (1), factum illud referens anno 1730 in monasterio *Troitzæ*, pro commendanda pietate cultus imaginum : quando Lutherani vulgatis Buddæi scriptis conabantur eundem superstitiosum evincere ; quia tutam vult Deus a lutheranismo saltem fidem veneratis imaginibus et Sanctis in Russia, sicut non prævalituro mahumetismo miracula ipse opponit in Græcia.

Sanctos itaque nationales Ruthenos, aut eorum reliquias, sive prædicanda miracula, *rite*, ante alias latas ab Ecclesia leges (sicuti loquitur Tridentinum sess. xxv, decr. de invent. et venerat. ss. reliq. et imagin.), *ab episcopo approbata et recognita, adhibitis*

(1) Append XI.

in consilium theologis et aliis piis viris, aut abusu quodam exstirpando, sive de eis quæstione incidente, ad dirimendam controversiam, metropolitani et comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententia expectata, cultui publico exhibita, in quibus nil schismatis aut erroris tuendi intendatur foveri, coli et venerari posse sensi consulturus id sciscitatis catholicis. Post Tridentinum autem, in quo (ibid.) præcipitur : nil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice novum aut in Ecclesia inusitatum decerni, nullius, etiamsi vere sanctus apud Deum esset, licet cultus sacer aut miraculorum solennis prædicatio, sicuti nec ad eundem preces, inconsulta sede Romana. Ita censuit S. Rit. Congr. (apud Remission. Barbo-sæ, ibid.): Sanctorum scilicet reliquias antiquas habendas esse in illa veneratione, qua eatenus fuerant ; si vero novæ fuerint, episcopos servaturos esse decretum synodi. Pro recentioribus latis Pontificis decretis consulantur auctores.

Erga Sanctos igitur colendos horumque signa, Rutheni iconomachiam et agiomachiam lutheranam detestati, nec non Latinos antiquos Sanctos venerati (nuperorum post Græcorum schisma vix nomen noscentes), verum sustinent dogma. S. Nicolaum (nobis Barensen), Ep. Myræ, inter cæteros extensius invocatum specialissime recolunt. Quotquot Lutherani scriptores, sive fictos, sive ex igno-

rantia in rusticis accidentes, colligunt magnificanti cultus excessus, materiales dicam et ineruditæ devotionis effectus, sicut corrigendi non desunt inter Latinos. Quicumque ob istos devotionem idololatricam insimulet, theologos esse cunctos rusticos optabit, cum ipse ostendatur veræ christianæ fidei oblitus. Intendunt orthodoxi rustici id tantum implorantes Sanctorum patrocinium exequi, quod Ecclesia communiter perficit; nec ullus ab orando Deo in Sanctorum cultu præscindit. In hoc cedemus Lutheranis orthodoxi, sive græci sive latini theologi: quod nos edocturi rusticos, subtilitates non quærimus; ipsi sophistis glebas supinant, ut academiolas terga detecturas invertant.

CAPUT XXI.

Jejunia communia Ecclesiæ Ruthenæ. . .

Actus necnon religionis esse jejunia, ad placandas offensi numinis iras, satisfaciendumque ei pro commissorum peccatorum pœnæ reatu, satis explicuimus circa quæst. 88; sicut et Ecclesiæ auctori-

tatem ad ea sub peccato indicenda communiter, traditione apostolica omni sæculo continuatam. Hanc credere Ruthenos, et cum Græcis jejunia annua præcepta persolvere diximus, et alia ibidem fusius requirenda. In doctrina de fide tradita obligandi præcepta jejunia Rutheni et Græci nobiscum conveniunt; in disciplina et jejuniorum praxi differunt, quia valde Latinos excedunt, non tantum in numero, quantum in abstinentia rigidiori.

Abstinent per annum bis in hebdomada, feria *iv* et *vi*, a carnibus, prohibitum dicentes sibi esse jejunium sabbati (præter sabbatum sanctum) ex can. apost. et synodo quini-sexta. Natalem Domini diem 40 diebus jejunantes præveniunt, nec pisces perfectos, nec lacticinia sumentes, præterquam sabbatis et dominicis: sicuti diem emortualem B. Virginis XV augusti, a die mensis ejusdem prima; vigiliisque diurnis colunt sola duo festa, decollationis Baptistæ et Exaltationis S. Crucis. Ante festum Apostolorum Petri et Pauli, XXVIII junii, jejunia præscribit solemnitas Pentecostes; a cujus die octava abstinere incipiunt, memorantes, jejunio præcedente missos Apostolos; licitos ducentes ad esum pisces sine lacticiniis. Maximum jejunium ante Pascha quadragenarium dierum esurialium numerant, celebraturi Pascha post primum plenilunium sequens veris æquinoxium: unde non recepta correctione

romana, numerantes solarem annum stylo veteri, differunt (sicut Græci) Pascha ad plenilunium subsequens nostrum, quoties istud evenit ante diem nobis 4 aprilis, qua ipsi numerantes 24 martii, statuunt æquinoxium. Et huic temporum distributioni convenimus catholici, dum illic moramur, celebrantes Pascha cum Ruthenis et Græcis. In hoc jejunio maximo, ad esum tantum his licent fructus, radices, olera, legumina, cum piscium ovis, intestinis, nervis, intestinis, cancris, conchiliis; nullo eis permissio pisce perfecto quem animet sanguis (præterquam sabbatis et dominicis, in quibus jejunium cum solis piscibus intermittitur); nec conditura alia quam oleo, a solis divitibus ex olivis carissime emendo, pro plebe reliqua ex lini semine expresso. Prima et ultima hebdomada rigidius abstinent, reficiendis in ea, bis aut ter tantum, non paucis; sicut nonnullos sic abstinere in quinque mediis vidi. Macerantur itaque inedia rigidissime, ita ut nullibi dies sanctificandos æque crederem, correcto vitio in cremati ex frumento spiritus usu, non raro ad ebrietatem usque protenso. Neque in extrema ægritudine carnes aut ova hoc sacro tempore voluisse sumere, vidi quosdam, ita ut contra hoc cuidam servo domestico, qui obiit in quadragesima, suadere nil potui; quod tamen plures, necessitate cogente, non prohiberi credunt; sicut neque phar-

maca vitata quondam a rusticis, si vel modico præpararentur ovorum albumine.

Quadragesimam magnam, terminandam sicut a nobis in die Paschalis, diverso modo incipiunt, ut non jejunatis sabbatis et dominicis, compleatur quadragenarius jejuniorum numerus. Modum fuse a nobis relatum circa quæst. 88, § 5, leviter hic tangam. Usque ad finem sæculi VI, quo S. Gregorius M. non interpolanda ordinavit quadragesimæ jejunia, nec apud Latinos hæc incipiebat die cinerum; sed unaquæque ecclesia numerabat auferendos dies quibus non jejunabatur, alicubi sabbatis, alibi feriis V. in Ascensionis Domini memoriam, alibi aliis festivè ductis: quod uniformitate christiani ritus servanda a Latinis, sicuti fit hodie, correxit S. Gregorius. Similiter Græci per sex prima sæcula integra, incipientes jejunia a Dominica quæ nunc dicitur quinquagesimæ, non jejunantes in sabbatis (nisi sabbato sancto), sola 36, per septem hebdomadas usque ad Pascha, perficiebant jejunia. Noverant Græci Constantinopoli S. Gregorium, quem adhuc venerantur sanctissimum: a quo cum pro quadragesima missam Præsanctificatorum acceperint, integrandæ quadragesimæ non spreverunt exemplum, licet non jejunaturi sabbatis, aliter addituri jejunium. Vovit Imperans Heraclius, dimicaturus contra triumphantem Chosroam, qui

Hierosolyma capta crucem Christi acceptam asportaverat in Persiam, se, si hunc vinceret, adlaboraturum, ut jejunia adderentur quadragesimæ complendæ, quæ Græci omittebant. Vicit plenissime, interfectis Chosroa ejusque filio; restituetaque cruce, et Hierosolymæ sibi redditæ collocanda (unde festum exaltationis S. Crucis oritur), pacem cum Persis conclusit. Voti memor, illud adimpleri ab Ecclesia quæsivit; quæ, et Deo ob victoriam grata et quadragesimam perfectura, aliam hebdomadam jejunandam indixit; jejunium tamen aliter statuit, semifestivum, ut recoleretur victoria, quod vix non transiit in carnisprivia bacchanalia.

Dicam quod in Russia viderim, quæ cum lege Christi post sæcula quatuor morem hunc sumpsit a Græcia. Statutum fuit, ut in tota hebdomada mediate antecedenti (quæ nobis est septuagesimæ), carnes essent prohibitæ, servarentur tamen ad esum lacticinia: indeque vocatur a Ruthenis *Maslanitza*, id est butyracea. Hæc tali lætitiâ a plebe ducitur, ut populus choreis, cursibus, cantu, vix non communi ebrietate, aliisque vitiosis excessibus, vitandum fere per vias faciat commune tripudium, potius bacchanalia vocandum, quam sancti jejunii initium. Prohiberi positive jejunium, addam, apud Ruthenos, sicut apud Græcos: primo, omni sabbato præter sanctum, imo jejunantes Latinos communiter

taxant; de quo late diximus circa quæst. LXXXVIII. Secundo, toto tempore decurrente a festo Nativitatis Domini ad Epiphaniam. Tertio, hebdomadis quatuor integris : antecedente et consequente *Maslantzam* seu septuagesimam, illisque utriusque Paschatis (Resurrectionis et Pentecostes). Cuncta hæc communiter græca sunt. Qui plura circa jejunia Ruthenorum legere cupiat, plures quoque detractiones eis a scriptoribus adjectas, a quibus eosdem vindicaverim, integrum tractatum circa quæst. LXXXVIII. adeat, quem hic repetere longum esset (1).

CAPUT XXII.

Circa mortuos fides et ritus.

Pietas Ruthenorum in mortuos injuste a Lutheranis damnatur; sicut ab eisdem commendatur negans purgatorium (nec tam rem quam nomen) fides. Extensissime de utroque scripsi. circa quæst. LXVI; unde hic pauca referam quæ illic manifesto, ut approbem orthodoxa et erronea reprobem.

(1) Append. XII.

Judicari a Deo homines in particulari, statim ab obitu, Rutheni credunt; definitivam tamen sententiam fatentur *quoad meritum*, negant vero *quoad exercitium*. Judicatum, aiunt, justum beatitudine dignum; imo beari de facto dicunt spiritus mundos ad omnibus peccatorum sordibus. Peccatores autem judicari fatentur et decerni gehenna dignos, imo in gehennam mitti; nulli autem irremissibiliter hanc æternam a Deo dari: ita ut, sive libera hujus misericordia, sive mota eadem piis Ecclesiæ precibus superstitemque suffragiis, quos vult ab inferno liberet, expectatis ad ultimum judicium, æterno futuro sine remedio igni destinandis: quia Deum non *mittere, sed potestatem habere ut mittat in gehennam, postquam occiderit*, legunt in Evangelio, cum Græco Theophylacto. Hinc error Græcorum ac Ruthenorum, quem Latini pauci bene inquisierunt, Lutheranique secum fere unum male putarunt: rejicit purgatorii nomen statumque animarum medium, qui determinate quosdam a perpetuo damnatis secerant: omnes enim (baptizatos saltem) liberari posse et salvari ab inferno, catechismus Græcorum insinuat.

In hoc errore sustinendo tenaces, cum rationibus dogmaticis sibi objectis fiunt imbelles, ad fidei divinæque providentiæ inscrutabilitatem recurrunt. Novissimeque ruthenus scriptor, Stephanus

Javorskius, mortuorum adjuvandorum nostris precibus, qui ob peccata Dei visione non fuere digni, sive statum, sive locum, sive exercens eorum tormentum, sive id cujus nomen Græci inter se unum non habent; vocavit *mistarskuo* (1), latine *telonium*, id est, Deo reddenda solutio ante ingressum in regnum cœlorum. Nec inde, ut purgatorium fateantur, valent convinci: illaturi exemplo merçium in telonio esse quasdam animas ingressuras certe, soluto debito sive per se, sive per alios; quasdam vero ita a regno proscriptas, ut nullo titulo eo introducendas permittat princeps, quas novit plene corruptas, nulloque medio, ubi non est pœnitentiæ locus, ad integritatem restituendas.

Hucusque error est continuatus plus a pertinacia respuendi nominis, quam a defectu fidei luminis: rarus enim aut nullus est, qui Judam asserat posse salvari suffragiis: unde generalem omnibus defunctis acquirendæ remissionis capacitatem verbo etsi dicant, tamen nec tuentur, nec credunt. Orant itaque Rutheni indifferenter pro mortuis in communi et in particulari, offerentes Deo sacra Missarum sacrificia, preces, eleemosynas, cunctaque pietatis exercitia, applicanda fidelibus defunctis per modum suffragii. Cumque græcos ritus, quos primitiva Ecclesia pios fecit, Novatores male ferant, superstitionis nec

(1) Lege: mytarstvo.

unius, sed plurium accusantur a lutheranis scriptoribus. Neque huc refert communem caritatem, qua pro defunctis Ecclesia orat, a Lutheranorum diceriis vindicare. Plures hoc fecerunt, quibus connumerabor, lectis quæ supra scripsi circa quæst. LXVI.

Singularia Ruthenorum erga mortuos suos pia officia hic liceat eis repetere, quibus minus accepta sit controversia, quam historia. Servatis domi ultra alibi solitum cadaveribus, juxta cujusque statum, preces pro mortuis suis auget Ruthena devotio; dumque sepulturam corporibus ecclesiasticam differt, pietatem in caros suos diutius exercet. Occasionem quam natura hiemalis ad hoc præstitit, ars æstiva, pro quibus non obest inopia, extendit. Congelata corpora servaret pluribus mensibus frigus boreale incorrupta. (Tale istud est, ut offam, cibosque alios coctos in Moscuâ, tantum calefacienda comederim post sesquimensem in Warsavia.) Per hebdomadas plures inde sepulturam differunt, qui presbyteros advocare possunt, ut pro defuncto orent. In æstate id ars supplet, supposita cadaveri arca gelu plena, quam obtegit nigrum velum. Itaque præservata magnatum (sicut vidi mortuo Imperatore, hujus sorore, et aliis pluribus) cadavera, diebus pluribus exponuntur, quasi in lecto dormierent, concurrenti ad manus osculum populo. Locan-

tur postea in feretro lugubri, ad hoc parato cœnaculo ; illic alternant choros orantes presbyteri, adusque sepulcralia officia, nullibi, ut puto, ducta magnificentius, in nullo non referentia piissimos ritus, et græcos et proprios.

Inde turpi impietate fingunt ignari, mortuis Ruthenis cibos apponi ; quia sacerrimam colyborum succedentium agapis apostolicis antiquitatem, sicut Rutheni, non memorant. Esse etenim in granis non plene coctis, sive fructuosæ mortis evangelicum symbolum, sive christianæ caritatis memoratum contra Juliani apostatæ ethnicismum divinum miraculum, sive caritatis ejusdem in apostolicis agapis monumentum, sive oblationum ecclesiis et pauperibus exhibitarum memoriam, fuse explicui suo loco, ut Novatorum stoliditas obmutescat : testis enim fio, qui ad Ruthenorum colyba degustanda cum ipsis non defui. Qui prædictam quæst. 66 integram legerit, non solum circa colyba inscitiam, sed fraudem Lutheranorum comperiet, qua salvi conductus litteras ad S. Petrum mortuis dare Ruthenos effingunt. Falsarios eos ibidem ostendo, cum veram appositæ humanis corporibus chartæ versionem latinam, detecto eam adulterantium dolo, exhibeo ; quam in originali slavonico videre, penes me, cupienti servatam offero (1). Est igitur orta ab ipso

(1) Cfr Append. XIII.

fidei christianæ apud Ruthenos initio consuetudo. Ut renitentes idololatrias Vladimirus dux baptizatus terreret, legem sanxit, neminis cadaver sepeliri posse qui christianus non esset ; utque legem efficaciorē redderet, apponendum quoque jussit ad manus sepeliendi fidei christianæ in qua homo obiisset chirographum, sive propria eam professi defuncti manu, sive ministri ecclesiastici testimonio roborandum. Arsit nec exhumandis cadaveribus zelus christiani principis parcens ; nullius sine charta hac inventum sepelientis crimini indulgens ; quo exiliatæ idololatriæ finem ipse faceret, qui in Russiam, sicut diximus, christianam fidem induxerat. Successit, cessante fine legis, devotio, ut eam cæremoniam Ecclesia conservaverit, in ritumque pium verterit apponendi sepeliendis, in charta expressam, et fidei obeuntis professionem, piorumque spei et caritatis erga Deum et proximum actuum formulam, et deprecatoriam absolutionis super mortuum exhibitæ rituales observantiam, manu presbyteri attestatam. In quibus qui nil falsum nilque non pium desideret, præallegatam quæst. LXVI integram perlegat.

CAPUT XXIII.

Status monasticus.

Cœlibatum presbyterorum Ecclesia Ruthena, in hoc quoque sine vitio Græca, non præcipit; sacerdotes tamen hos nuptos (quos præ aliis sæculares dicamus) omnino cœlibi monachorum perfectioni postponit. Quidni in hoc Ruthenos laudemus, quorum Ecclesia, sicut Romana, perfectionem statum monachalem supponens, hunc etiam in exteriori hierarchia sæcularibus clericis præferat? Juste monachi ex humilitate cæteris demittimur; laudandam tamen dicam legem, quæ aliis præferri decernit statum, quem perfectionem supponit.

Ex sæcularibus Russia nullum episcopum præficit: ex monachis omnes. Sola protopresbyteri dignitas illis patet in ecclesiis cathedralibus; parochiæ quoque per eosdem administrantur, quos *Popas* vocat populus, et majores *Protopopas*. Monachi renuunt nominari Basiliani, seu humani alterius instituti, dicentes (nec in hoc eis dissentiam), non esse statum eorum ab aliis inceptum, quam a Christo et Apostolis; collapsum etsi postea S. Basi-

lius renovata praxi restauraverit. Institutum in Russia unum est sicut et habitus niger monachorum omnium, sint licet diversi mores in monasteriis. Subduntur justissime hæc episcopis, quia isti, tantum ex eis assumpti, non ignorant eorum praxim et leges; nec ad episcopatum assumpti cessant a monastica abstinentia, habitu et observantiis. Disciplina ita viget, ut nec imminente morte esus carniæ sit permissus. Pauperem non tam dicam, quam miserum simplicem monachum, in esca, habitu, camera etc. Cum tamen lautius vivant prælati, monachum, qui quandoque sibi minus decenti via provideat, non nimio zelo corrigent.

Reguntur monasteria suis prælatis, majora archimandritis, minora igumenis (id est, ducibus vel præpositis). Complurima eorum numerat Russia, partim urbana, partim solitaria. Majorum et primorum catalogum, juxta ordinem quo mutuo præferuntur in synodo et archimandritarum conventibus, recepi usque ad 68. Horum primum est Kioviense, secundum Troitzæ, tertium Vladimiriæ, quartum Tchudov (id est, miraculi) Moscuæ, et cætera quæ tædium daret referre. Inter ea numerosius, ditius et celebrius illud est Troitzæ, 400 numerans monachos; intra ambitum 12 templa, quorum majus parum cedit *Sobor* præcipuo Moscuæ. Includit pariter Tzarum palatium, ubi Imperantes

devote illuc peregrinatos pedestresque ab uno milliari pie visitatos locat, et cum tota Aula, nec ipsi Imperanti permissis intra monasterium esu carni, alit. In eodem Tzares non semel defendi potuerunt a seditiosis tumultibus : munitum est siquidem vallo, muro, bellicis tormentis ac militari custodia. Plurimum milliarium circa illud archimandrita gerit dominatum ; urbsque circa monasterium aedificata continebit, meo computu, domuum ultra tria millia, civilius constructarum quam plurimi exhibet Russia. Vix explicare valeam civilem hospitalitatem, quam illuc bis pergens, expertus sum ab archimandrita, vicario, thesaurario, caeterisque monachis ; fatebor tamen, nullibi me splendidius fuisse receptum cibariisque cumulatum. Monasterium inter nos vix ullum scio, cujus si praeses fierem, adventanti archimandritae aequam possem rependere vicem.

Monialium offert quoque Russia non parvum numerum. Harum nullum frequentavi monasterium, praeter quoddam earum quod adierim templum. Nulli monasteria et monialium camerae ipsae non patent, sicut nec eis interdicitur inde exitus, et quo eis libuerit aditus. Visitantur et visitant, alia cautela non adhibita, quam lege (nec semper servata), quod e domo non exeant, nisi vetulis associandae. Pluries eas vidi in communitate plena per vias,

frequentius solas ; non raro a sæcularibus feminis vix distinguendas. Collectiores prudentius videmus nostras : periculosior siquidem est in nativa fragilitate libertas.

CAPUT XXIV.

Errores.

Nec non lacrymabile dicam igitur, videre a catholica unitate deviam extensissimi Imperii Ecclesiam, hierarchia perfectam, ritibus piam, Sacramentis religiosam, paucissimis erroribus, sed gravibus, ultra schisma contaminatam, Lutheranis plus expositam, quam catholico zelo perquisitam, sola Dei providentia medendam. Messem in ea esse multam vidi, operarios autem paucos sensi. Nemo eam Ecclesiam errantem in tot credat, quot lutheranæ pennæ eam accusant. In quibus injuste laceratur, eam defendi ; in quibus errat, eam pro meo correxi. Nec igitur historia defectus taceat, cujus falsas detractiones vindicavit.

Quatuor dogmaticos errores graves si emendarem, Ecclesiam Ruthenam perfectam relinquerem ; credam imo, uno submoto præcipuo, cæteros ruituros profecto.

Primus error est circa Deum : cum Spiritum sanctum, verum Deum et unum cum Patre et Filio creditum, a Patre procedentem, non tamen a Filio, etsi per Filium male explicant, Rutheni cum græcis Photianis tuentur. Hunc errorem fuse oppugnavi suo loco circa quæst. LXXI ; videatur ibidem.

Secundus error est circa statum animarum post mortem : cum status purgandarum negetur, quibus indefinite suffragium conceditur. Hunc supra insinuavi, jam circa quæst. LXVI non modicum confutatum.

Tertius error est in Sacramento matrimonii, ut diximus, quod in casu adulterii possit vir uxorem dimittere, non e contra. Hunc, nec facile corrigendum, supra tetigimus; cujus theologiam impugnationem ad tractatum de Sacramentis in *Echo Religionis* remisimus.

Quartum errorem conjicio cæterorum omnium aut causam aut fulcrum : Ecclesiam Romanam negant Rutheni communiter omnium matrem ; unde pontificem, ejusdem episcopum, summum fassi hierarchice, omnium pastorem totiusque Ecclesiæ non concedunt caput loco Christi visibile jurisdictione prælatum cæteris. Negant auctoritatem hanc fuisse Petro collatam a Christo super apostolos, sed datam eam eidem dicunt æquam cum cæteris. Hunc errorem fovisse primum

circa sanctissimæ Trinitatis personam, sat ostendi circa quæst. LXXI; eodemque modo asseram cæteros enutrisse.

Ex isto venit, Ruthenos cum Græcis vicissim in nos schismaticorum crimen retorquere, cum ore nostro se schismaticos audiunt. Christum unicum esse Ecclesiæ caput repetunt, cujus unicum corpus communiter Apostolis traditum diviserimus nos, ob arrogatum in Petri successore primatum. Inter particulares ecclesias, si divinum aliquid cuidam concedendum sit, quo præfulgeat reliquis, Hierosolymitanæ id attribuunt, personali Christi præsentia illustratæ, sanguine irrigatæ, fundatione primæ, fœcunditate matri cæterarum quæ ex ea processerint. Cæteras inter alias prælationem omnem datam esse dicunt ab hominibus, ut congruentiori ordine, per urbes primas unde regebantur civiliter cæteræ, velut imperantium aulas, regendæ pariter canonicè inferiorum civitatum ecclesiæ: primo Occidentalem, Romam veterem; secundo Orientalem, Romam novam nobilitarent. Integræ bibliothecæ huic sustinendo errori a schismaticis, oppugnandoque a catholicis conscriptæ sunt. Meum adjeci tamen catholicum calamum, in toto articulo nono symboli et alibi passim; cui placeat, legat correcturus plura in quibus mea penna defecerit.

Cætera quæ ex scholarum defectu Russiæ corri-

genda notaverim, potius ignorantiam quam errorem dixerim... Ut adducti errores purgati unam Ecclesiam redderent, ultra preces, nil minus offerrem quam sanguinem. Primos Ecclesiae illius praelatos audivi frequenter; ex vocibus corda vix non novi. Duriores Deus emolliat; sinceriores ipse melius disponat. Forsan ad eorum manus haec devenient; quod ergo cuidam ex ipsis privatim scripseram, cunctis ruthenis praelatis hic obiter repetam.

CAPUT XXV.

Exhortatio ad ruthenos praelatos.

Esset inter vos utinam, illustrissimi et venerabiles viri, *sapientissimus*, non unus, *Beseleel*! Sibi, si capax essem, nec solus, jungerer *socius Ooliab* (Exod. XXXV et XXXVII), ut tabernaculum in ita Ecclesiae Christo disponeremus, omnes capiens christianos. Vanum hunc laborem nostrum dicam, nisi Deus aedificet (Psal. 126.); fructuosissimum, *illo nos confortante in quo omnia possumus* (Philip. iv, 13). Confessionis vestrae Ecclesiae exposui dogmata, a Lutheranis deridendis seductionibus servanda, ab eorundem in vos detractionibus vindicata, a pho-

tianis quæ irrepserunt erratis emendanda. Inter vestram et Romanam Ecclesiam paries erectus est schismatis. Scopulis quatuor, ut vidimus, angulos solidatos istud roborat; cæteroquin eum non murum, sed maceriem judicemus, nullo bitumine, vilipendendis lapidibus structum, rectæ intentionis ariete riturum.

In tractandis controversis dogmatibus, uniendisque his dolatis veluti ad ædificium saxi, felicitate caremus, ne dicam arte, qua *non auditis mallei, securis et ferramenti omnis ictibus* (3 Reg. vi, 7.), divisæ domus a sapientia Christi constructæ, medio pariete everso, amplitudinem reficiamus: sed nec strepitus ad hunc finem fastidiosi fiunt, si juxta Christi regulam architectonice resonant.

Pluries id fuit tentatum, non semel inceptum; quandoque, Græcis rutheno metropolita cooperario, Florentiæ conclusum: sed væ ei, quo superstruente laborem illorum flemus evanidum! Nullibi jam, sicut in Russia, hunc suaderem repetendum; ubi sub christianis principibus, christianus servatur integer populus: sepultis fere in Græcia, sub Turcica inimica Christo tyrannide, christianitatis reliquiis. Gloriosius ecce futurum Ruthenum imperium, si Christi unicum regnum (non *de*, sed) *in* hoc mundo scissum necteret, quam si bellantium aquilarum Russiæ per totum oriens alas

expanderet. Restitueret quippe Græciæ, sive quam ei debuit veram fidem, sive pro scissa quam ab ea receperit integram redderet, ad usuram Christo gratissimam. Idea hæc vere christianorum ostenderetur principum, hunc potentiæ sibi datæ statuere sibi scopum laudabilem meritisque refertum.

Strictius tamen id attinet ad Ecclesiæ prælatos, quos *Spiritus Sanctus posuit eam regere* (Act. xx). Sponsam ejus unicam ; cujus divisio requiretur a cunctis, sed severius ab his, quorum ne sponsa Dei ad alios vagaret, commisit zelo. *Quicumque separaverit pretiosum a vili, quasi os fit Domini* (Jerem. xv, 19.). Talisque evaderet pastor, qui suæ plebis si quæ sunt in fide fæces repurgans, efficacem illam pro Christo promeret vocem, quam audirent ejus oves, ut *feret unum ovile, et unus Pastor* (Joan. x, 16). Fervor hanc vocem quidem acueret, sed Angelus (seu Dei nuntius) Ecclesiæ, quem, *nec calidum, nec frigidum invenit Deus* (Apoc. iii, 15), sed *tepidum, ab ore ejus evomitur*, qui a se ejectos mittit in æternum ardorem. Id unum etsi me sapientioribus inferam : *regna quævis divisa, desolanda esse* (Matth. xii, 25.) infallibilis profert veritas. Ergo quicumque unam Christi Ecclesiam in æternum duraturam credimus, extra illam esse convincimus, quemcumque ad ejus unitatem noscamus obstare.


Unam ab oriente ad occidentem in Christo fundatam *superædificarunt* Apostoli. Unam utroque sustinuerunt, illic græci, isthinc latini, doctores sacri. Nullibi defuerunt, qui erroribus suis non stabilituros lapides, sed glebas subicerent ad ruinam. Licet autem hoc senserit Ecclesia, unitis vivis ejus lapidibus nil timendum habuit. Crevit hæc sapientia et ætate apud Deum et homines per plura sæcula. Inter divisos postea apud quosnam quærendus est divinus spiritus sapientiæ? Latini etiam ex Græciæ agro, excussis paleis, selegerunt granum, quod in scholarum refectionibus distributum (veneramur SS. Patres græcos siquidem), redemit nos ab illa lamentanda penuria qua *parvuli peterent panem, nec esset qui frangeret eis* (Thren. iv, 4), quam felicem optarem annonam cunctis profitentibus Christi fidem sub ritu græco.

Itaque, Rutheni mihi carissimi! ex eisdem fontibus potamus aquam sapientiæ, sed cœnosos non æque vitamus conductus; cavendi a vobis isti sunt, ut in sua puritate sit et vobis aqua sapientiæ salutaris. Nil vobis obest, imo vires daturus est, stabilitum quem ostendi a Christo, Pontificis Romani primatus. Ambitus ultra debitum a Photio alius rapuit incautos. Romanum datum sibi a Christo superædificavit, eo illum determinans Petrus; Constantino-politanum erexit Ecclesia, eum præferens orienta-

libus cæteris, quos superiores haberi decreverant homines. Æquandum Romano, istique non subditum, non licuit hominibus eundem velle, contra ea quæ in Petro ordinaverat Christus.

Nec vestro nobilitando imperio christiano injustum dicerem, si salvis ecclesiarum orientalium juribus, novæ Constantinopolis (sub Turcis vix non diruta veteri) erigeretur ecclesia Moscuæ, sicut florente Roma veteri divinoque jure prælata, novam elevaverat Ecclesia Constantinopoli. Sed quo pergo? Finis quærendæ unitatis sit sola charitas (1 Tim. 4, 5) : *in qua qui manet, in Deo manet et Deus in eo* (1 Joan. iv, 16).

Nil erga vestram Ecclesiam scripsi, quod in factis non compererim verum, in jure non ostenderim convictissimum. Ut facilius sit, siquidem eam Deus differat, vestra nobiscum perfecta unitas, cavete saltem lutheranam pestem; contra quam, in æternum, et orantem et scribentem, unanimum me habebitis socium.



Appendices.

APPENDIX I (ad pag. 7).

S. Cyrillum, Moraviæ apostolum, numquam Kioviam adiisse, nec evangelizasse Ruthenos, res adeo nota est, ut nulla indigeat declaratione. Constat pariter eum aliquamdiu moratum esse Chersonæ in Tauride, ibique invenisse reliquias S. Clementis, papæ et martyris, quas secum inde tulit Romam, ubi supremum diem obiit. Certissima quoque est ejus prædicatio apud Moravos, in quibus erudiendis multam curam posuit una cum fratre suo Methodio; at præcipua S. Cyrilli laus in eo est, quod omnium primus litteras slovenicas excogitaverit, librosque sacros earum ope conscriptos attulerit Moravis.

Quamvis autem integra existent volumina in quibus Sanctorum horum gesta fuse declarantur, quia tamen hæc Auctorem nostrum omnino latue-

runt, et minime vulgaria sunt, juvat heic proponere eorum summarium, ex duabus Legendis, quæ vulgo vocantur *pannonica* et *sloveno-serbica*, concinnatum. Harum prior continet *Vitam S. Methodii*, posterior vero *Vitam S. Constantini*. Datur porro hoc summarium, prout jacet in meo *Anno Ecclesiastico græco-slavico* ad diem V Julii. at brevius et emendatius, ea servata lege, ut *Vitam Methodii* indicet littera (M), littera vero (C) *Vitam Constantini*.

« Constantinus itaque et Methodius, fratres Thessalonicenses, floruerunt tempore Michaelis imperatoris (M). Pater eorum, nomine Leo, vir bonus et copiosus, et drungarii munere fungens, suscepit ex uxore Maria septem filios quorum natu minimus fuit Constantinus, vulgo philosophus dictus (C). Puer septem annorum, hic in somniis sibi visus est ex pluribus sibi oblatis virginibus delegisse unam miræ pulchritudinis, nomine Sophiam seu sapientiam. In litterarum ludo profecit præ omnibus in librorum scientia.

Cum autem fama de sapientia et studiis Constantini ad aures imperatorii logothetæ (nomine erat Theoctistus) pervenisset, arcessitur ab eo, ut cum imperatoris filio simul litteras disceret. — Venit itaque Constantinopolim, ubi magistris traditus est. Trium mensium spatio totam grammaticam emen-

sus, ad alia ediscenda progressus est. Homerum et geometriam, dialecticam et philosophiam apud Leonem et Photium didicit, præterea rhetoricam, arithmeticam, astronomiam et musicam ; simul autem in humilitate et modestia se exercuit (C). Ita comparatum logotheta præposuit eum domui suæ ; voluit insuper in uxorem ei dare suam filiastram, adjecta pollicitatione se partem principatus et dignitatem strategi ab imperatore impetraturum. Quam quum rejecisset juvenis magnanimiter, statuit eum, monachatu et sacerdotio auctum, bibliothecæ patriarchicæ ad S. Sophiæ præponere. — Non multum tamen temporis commoratus est illic Constantinus, sed trans mare Augustum clam abiit et in quodam monasterio sese abdidit, ita ut non nisi post sex menses fuerit detectus (C). »

Constantinopolim redux, numquam adduci potuit, ut primum servitium resumeret: magistri tamen munus accipere et philosophiam alienigenas et cives docere non recusavit (C). Hoc tempore Constantinus, ætate adhuc juvenis; disputationem iniit, imperatoris jussu, cum patriarcha Janne (seu Joanne) ob pravas de sanctis imaginibus doctrinas de sede pulso (C).

Cum autem annum attigisset vigesimum quartum, missus est simul cum Georgio secretario ad

Saraceos, quibus imperabat tunc Amermumnes (Califus Mutawakkil). Missionis occasionem præbuit provocatio a Saracenis facta, ut certamen cum eis iniretur de religione christiana. Victor e certamine exiit Constantinus, postquam de veneno ab hostibus sibi porrecto triumphasset illæsus (C).

Finita hac missione, ut solitariam vitam iniret solique Deo vacaret, abiit ad fratrem suum Methodium in montem Olympum (C). Methodius enim in montem hunc, ubi multi sancti patres degebant secesserat, prior monachus factus, postquam plures annos principatum Slavoniæ tenuisset (M). Uterque frater tempus insumebat orationi, vigiliis et jejuniis (C); donec quietem turbavit novum imperatoris mandatum, quo jubebatur Cyrillus ire ad Khazaros: a quibus viri eruditi expetebantur qui eos primo quidem ab Hebræis tum etiam a Saracenis defenderent, religionem suam illic certatim obtrudentibus. Iter iniit Constantinus, pervenitque Chersonam; ubi Hebræorum sermonem didicit atque Samaritanorum; reperitque evangelium et psalterium sermone russico (puta Gothorum) scripta, quam linguam item didicit. Persuasit archiepiscopo Chersonensi, ut S. Clementis papæ corpus exquireret, « *quemadmodum scribitur in ejus Inventione.* » (Agitur de notissima Translatione S. Clementis, auctore Gauderico, episcopo Velletrænsi,

quam ediderunt Bollandiani, Act. SS., tom. II. Martii).

Chersona ad Khazaros proficiscens, Constantinus obviam venit Hungaris, a quibus tamen nihil mali passus abire permissus est (C). Apud Khazarorum ducem disputationes habuit cum sapientissimis inter Saracenos, Mahometis placita sectantes et Judæos. Quæ integræ inveniuntur in libris ab eodem scriptis, et a fratre suo Methodio translatis ac in octo partes divisas.

Fructus disputationum fuit iste, ut baptizati fuerint viri ducenti circiter, data cuivis licentia petendi baptismum; illis vero qui christianam religionem cum Judaica aut Mahumetica permutarent, capitalis poena indicta. In reditu, cum siti premeretur, aquam salsam in dulcem precibus ad Deum fuis mutavit. Chersonæ mortem prædixit archiepiscopo gentis Phullensis, finemque imposuit cultui superstitioso, quem quercui magnæ molis reddebant indigenæ.

Cpolim redux, ad ædes SS. Apostolorum moratus est Constantinus (C). Methodio vero, episcopalem dignitatem recusanti, oblatum est monasterium Polychron, ubi septuaginta sodales numerabantur (M). Quo tempore Constantinus interpretatus esse dicitur (C) inscriptionem, in calice quadam templi S. Sophiæ exaratam litteris hebraicis et sa-

maritanis, quam nemo legere potuerat. Interpretatus est etiam numerum 909, inscriptioni appositum, quo designari dixit spatium temporis ab anno 42 regni Salomonis ad Christum ducem, adeoque prophetiam esse de Jesu Christo.

Interea Rostislaus, Moraviæ dux, legatos misit ad Michaellem imperatorem, rogans ut virum aliquem idoneum destinaret, qui gentem Moravam, licet jam christianam, amplius veram fidem edoceret (C). Misit Michael ambos fratres, utpote Thessalonica oriundos, ac proinde slavicum linguam bene callentes. Constantinus philosophus, licet ægrotaret, non respuit missionem, sed fuis precibus, illico in fingendas litteras slovenicas incubuit, transtulitque Evangelium Joannis; et ita donis imperatoris et litteris ditatus, iter Moravicum aggressus est (C), Methodo comitante (M). Magna veneratione excepit eum Rostislaus princeps (C), nec minori lætitia affectus fuit populus moravus; e contra, clerus germanicus multum slavonicæ linguæ usui adversabatur. Mansit ibi Constantinus per menses quadraginta (triginta sex tantum, juxta Legendam pannonicam), quibus peractis, Romam arcessitur, pergitque per ditionem Koceli, principis Pannoniæ, qui ei quinquaginta discipulos adjunxit (C). Venetiæ disputavit contra quosdam e clero contententes, nulla alia lingua uti licere in

sacris præter hebraicam, græcam et latinam. Quibus reponebat Constantinus, se multas nosse gentes qui Deum laudant sua quæque lingua, nempe Armenos, Iberos, Gothos, Khazaros, Arabos, Ægyptios, Syros aliosque.

Romæ, quo reliquias S. Clementis secum adtulit, ab Hadriano II perhonorifice exceptus est (C. et M.). Imo voluit apostolicus (ita vocatur papa) libros slovenicos in ecclesia S. Mariæ ad præsepe (*Phatne*) deponi et super eos sacram cantari liturgiam, nec non et discipulos Constantini per duos episcopos, Formosum et Gaudericum, ordinari Qui, postquam consecrati sunt, illico liturgiam slavonicam cantarunt primo in ecclesia S. Petri, diebus vero sequentibus in ecclesia S. Petronillæ, S. Andreae, et in magna ecclesia S. Pauli apostoli, adsistentibus Athanasio episcopo et Anastasio bibliothecario. Mox tamen in morbum incidit Constantinus, assumptoque schemate monastico cum nomine Cyrilli, piissime obiit Romæ, die 14 februarii, anno salutis 869, ætatis suæ 42 (C). Cujus corpus reconditum fuit in ecclesia S. Clementis, ad dexteram partem altaris, multisque miraculis inclaruit; quibus visis magis eum venerari, et imagine ejus picta super sepulchrum lumina accendere cœperunt Romani, laudantes Deum qui glorificantes se glorificat vicissim (C).

Methodius vero expetitur a Kocelo in episcopum et mittitur ad Slavos universos (M). Qua occasione epistolam ad Rostislaum et Kocelum dedit Hadrianus, latine his fere verbis constantem : « Hadrianus, episcopus et servus Dei, Rostislao et Kocelo. Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis ! Quemadmodum de vobis spiritualia audivimus, quæ sitiebamus cum desiderio et præcibus propter vestram salutem, quoniam excitavit Dominus corda vestra ad quærendum eum, et ostendit vobis, quod non solum fide, verum etiam bonis operibus oporteat Deo inservire ; fides enim sine operibus mortua est et falluntur ii, qui se Deum cognoscere arbitrantur, operibus vero ab eo desciscunt. Non enim apud hunc episcopalem thronum tantummodo rogastis doctorem, sed etiam ab orthodoxo imperatore Michaelē ; a quo et missus est vobis beatus philosophus Constantinus cum fratre suo, cum nobis occasio deesset. Illi vero juribus sedis apostolicæ in vestras partes cognitis, contra canones nihil fecerunt, sed ad nos venerunt, S. Clementis reliquias secum ferentes. Nos quidem triplici gaudio repleti statim, re considerata, Methodium filium nostrum in partes vestras mittere, postquam eum cum discipulis ordinavimus, virum perfectum intellectu et orthodoxum, ut vos edoceret, prout rogastis, libros in vestra lingua

interpretans secundum omnia Ecclesiae praecepta plene, cum sancta Missa, id est cum liturgia et baptismo, sicuti Constantinus philosophus divina gratia et S. Clementis invocatione coepit; item si quis alius potuerit digne et orthodoxe dicere, sit sanctio et benedictio Dei et a nobis et ab omni catholica et apostolica Ecclesia, ut facile praecepta divina discatis. Hunc unum servate morem, ut in missa primo legatur apostolus et evangelium latine, dein slovenice, ut impleatur verbum Scripturae: *Laudate Dominum omnes gentes*, et alibi: *Omnes loquebantur variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus S. dabat eloqui illis*. Si quis autem ex doctoribus ad vos venientibus aut ex discipulis (eorum) aures suas a veritate avertentibus ausus fuerit secus (agendo) vos in errores seducere, litteras linguae vestrae vituperando, sit excommunicatus; sed tantum in iudicium tradatur Ecclesiae donec resipuerit: isti enim sunt lupi, et non oves, quos convenit a fructibus eorum cognoscere et cavere. Vos autem, filii carissimi, audiat praecepta Dei, nec institutionem Ecclesiae repudietis, ut inveniamini veri adoratores Dei patris nostri coelestis et omnium Sanctorum (M). Mox remittitur Methodius Romam, ut sacretur episcopus in sedem panonicam S. Andronici, quod et factum est (M). Episcopus Pannoniae creatus multa ab adversariis

toleravit Methodius ; imo captivus in Suabiam abductus est, ubi duos annos cum dimidio mansit, donec, R. Pontifice anathema persecutoribus minitante, liberaretur. Moravi quoque ad se reversi presbyteros germanicos pepulerunt et Methodium a Romano pontifice impetrarunt sibi in episcopum, annuente eorum principe, Sviatopulco (M). Et prospera facta sunt omnia in regno Moraviæ, donec novi exorti sint adversariorum impetus, sed irriti. Iter Cpolitanum, rogatu imperatoris initum, fausto omine perfecit Methodius. In Moraviam rediens, libros S. Scripturæ intra sex menses slovenicos fecit, præter Macchabæos et quæ antea translata erant, psalterium et evangelia. Tandem itinere Hungarico feliciter peracto, cælo maturus, sancte obdormivit in Domino die 6 aprilis anno 885, Gorazdo in sui locum suffecto. Sepultus est in ecclesia cathedrali (M).

(Act. SS. Oct. t. XI, pag. 168 et 199.)

APPENDIX II (ad. pag. 19).

« Ignorantiæ medendæ monasterium scholæ publicæ erexit imperatoris Petri I oeconomia, Mos-

cuæ ; cujus professores, ut plurimum, e polonorum Jesuitarum confinium collegiis transcriptos tractatus rescribendos discipulis dicitant ; ludisque litterariis solemnioribus, oblatis thesibus oppugnandis, cæteros concursuros advocant. Illic invitatus pluries adfui, semelque insertam thesim ordine sextam, de processione Spiritus sancti a solo Patre, non item a Filio, oppugnaturus accessi. Die 21 (vet. st. 10) julii, anno 1730 designata, integro patienti, cunctis Moscovitis ignoto, sacri mei Ordinis habitu, ab ecclesiasticis et sæcularibus proceribus civilissimo in theatro receptus (typica nec observans oblata exemplaria, ob quæ domi alio monente revisa, quid postea egerim, mox referam) præviam disputationi salutariunculam pro more sic protuli. »

(Sequitur prologus, quem brevitatis gratia præmittimus. — Quo absoluto, argumentationem sic in forma proposuit P. Ribera) :

« Spiritus S. procedit a Patre, præsupposito prius origine Filio ; sed Filio originative cum Patre supposito, non potest Spiritus S. a Patre procedere, sicut Salvator dicit, quin quoque procedat a Filio : ergo a Filio procedit sicut a Patre. » Pergit idem :

Quæ circa demonstrationem hanc fuerint præmissis examinandis exposita, integra hora decursa, nec facile repeterem. Respondentem audivi pro defendentibus Illustr. et Rev. Theophanem, ar-

chiep. Novogorodiæ inter ruthenos prælatos summum et eruditissimum.

Placidissime prædicta evenerant : exemplaria enim typica ante solemnem concursum invisâ, nec disputaturus aspexeram, nec postea nisi monitus unquam de cælatura curassem, quam symbolice non credidissem turpissimam, sed materialiter despexissem deformem. Involutam chartam domum usque servavi, reposuique aliis intentus reconditam : cum ecce me curiosior, qui eam exacte observaverat, ad me venit post biduum. — Num vidissem, interrogavit subridens, exemplaria quæ receperam thesium ? Ingenue fassum ad hoc non attendisse, me item institit ut iconem supercælatam inspicerem ; cui obsequens cum explicui chartam, crassiorem in electa figura, quam in pessime sustentata materia, præceptoris theologiæ percepi mentem : hanc quippe sine acumine ullo sustinuit ; illam irreligiosius magistra rusticitate eligere didicit. Videbatur ornandis thesibus supersculpta Religionis imago, aut Fidei, alteriusve ejusdem cerebri corrupti figmenti, prostratas, inversis capitibus, septem sub pedibus habens alias, ad quas, exeuntibus ex ipsarum ore sententiis, vicissim ex suo daret responsa. Suppositas sinistro pede calcabat quatuor, tres dextro. Nominibus expressi legebantur : illinc *Arius, Macedonius, Lutherus, Calvinus* ;

istinc *Sabellius, Mahumedes*, medium hos inter locum habente, pontificali habitu noscendo, ex tiaræ inscripto venerando nomine, grandioribus litteris : PAPA. Cæteris apponebatur velut prolatus, suus cuique error : quibus correspondebant data responsa, quasi a superstante imagine, damnantia e S. scriptura decreta. Quid vilipendendo papæ excogitavit stupiditas? Non græca dicatur, minus ruthena, sed nec nominandi archimandritæ cujusdam simplicitas ; in hoc tantum miranda, quod non frænetur a cæteris, quos male tulisse factum fatebor ut testis. Procedebat ex effigiali papæ ore : *Accipite Spiritum S.* (Joan. c. XX) : *ergo Spiritus S. procedit a Filio*. Huic veluti taxando errori opponebatur a Religione ex alto, verbis (ex Apocal. II, 5) abusive desumptis : *memor esto unde excideris et age pœnitentiam ; sin autem venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo.* (Efficax credo in archimandritæ spiritu consequentia : ergo Spiritus S. non procedit a Filio. — Efficaciorem en quam meretur : ergo spiritus est archimimussic inferens, sed immundus, dignus ille ut ab academia ejectus *mittatur in porcos*) (Marc. V, 11). Certe talibus perlectis, quasi iratus quod scandalosæ interfuerim inscius scenæ : invitatus ad aliam publicam disputationem in crastinum, nec illi ultra videri resolveram. Inquirens tamen quid parata nova exemplaria

continerent, inveni imagines exhiberi Archangeli Gabrielis Beatissimam Virginem salutantis : dies siquidem 13 (n. st. 24) julii erat, rutheno kalendario, Beato Archangelo sacra, sub auspiciis quoque Rev. et Illustr. Gabrielis Buginski, archiepiscopi Riazanensis etc., habenda philosophiæ disputatio. Quare consultius concurrere statui, ut publice vindicarem offensam quam nudius quartus nec noveram. Occulte igitur præcedentium thesium exemplaria in sinu deferens, rursus in theatrum me contuli, ubi ea projecturus relinquerem quæ illinc ignoranter receperam. — Tradita tandem, ea die quæ offerebatur ut impugnarem, unde quaque examinans, omnibusque notanda cura circumspiciens, præcedentia suo tempore e sub scapulari educturus, sequentia protuli :

« Veneranda mihi hæc thesium exemplaria, profana etsi, qua philosophica, sacerrima ex auspiciis icone superexpressis, cœlestis a Deo missi nuntii Gabrielis ineffabile Redemptionis humanæ mysterium divinamque Maternitatem SS. Virgini revelantis : nomen quoque præsidiumque Illustr. et Rev. D. Gabrielis, archiep. Riazanensis etc. præ se ferentia omni ex parte recognita, nilque mihi non colendum experimentia, recipio, pariterque vobiscum amplector ac catholica adoratione deoscolor.

Bina autem hæc alia (manu e sinu extrahens) in oppositum, sacra ex materia, quia theologica, ex supersculpta icone profana, detestanda, scandalosa, mihi nudius quartus hoc loco tradita, in eodem vobis restituo; ne hinc in Hispaniam si redux fiam, *clandestinæ* irrogatæ mihi et toti latinorum fidelium orthodoxiæ turpis calumniæ chirographum deferre mecum valeam, qui a cunctis honore affectum, prælatisque ruthenis obligatissimum ubique me dicam. *Clandestinæ* dixi: præventus enim manuscriptis thesibus, nihil in obsignandis publice ex abrupto hic mihi disputaturo traditis perquisivi, præter ordine sextam de processione Spiritus S. a solo Patre, quam impugnare vobis insinuaveram. Nec vidissem adhuc, nisi ab alio pridie monitus, quod aspexisse horreo pudetque referre; teneor tamen pro offensa publica satisfaciendus refellere. Zelo motus, nec ira percitus dicar, etsi amorem læsum in iram verti observarit non semel Hieronymus.

Inter execrabiliores sectarios (referre me tædet) Sabellium et Mahumedem locatur episcopali mitra ornatus litterisque majoribus expressus PAPA; quod nemo crederet publice permittendum inter vos detestabile facinus. Haud ignoro, inter præcedentis sæculi scriptores, Græcos quosdam ab Orientalibus qui sapiunt parvi habitos, ausos esse idem

conti
Gal
sir

— 106 —

*audere, quod archimandrita vester theologiae pro-
fatur pictura expressit : miror tamen, etsi ab
antiquioribus Graecis didiceritis credere, quod
praecipitorem sufferatis, docentem cum Graecis
imperitiosissimis ineptire.*

Latinos christianos Mahumedanis postpositurus,
magistram sibi theologo fictam ex trivio mulier-
cultam commendat, quæ requisita, num filium ad
Latinos ritus transire permiserit, respondisset :
*non sibi eum Turcam fieri, et sinam fieri Latini-
num ?* Successit Georgius Coressius, qui in Mat-
theam monachum declamans (2), potius subscri-
bendum esse blasphemam mahumedanis deliriis,
quam Latinorum sententiis ; hosque rebaptizandos
illaturus, sic ratiocinaturus insanit : quia receptis
duobus Spiritus S. principiis, non iidem baptizent
in *Triade*, sed in *Tetrade*. En mendaces theologos,
quorum virus archimandrita hic praecipitorem eructat.
Superbierat postremus, (3) se Latinorum doctrinas
in *Summa* nostri Doctoris Angelici S. Thomæ,
centies percurrisse, hujusque *Opuscula evisee-*

(1) In Antirrhethico, cap. XI, penes Nicol. Comaenum, praenot. 5. Mystagog. sect. 3, n. 8, pag. 301.

(2) Tract. theolog. de opere hom. cap. de iudice, penes Comaenum cit.

(3) In prooemio suae theologiae.

nasse; qui tamen apud nullum Latinum non proscriptum errorem duplicis principii ad Spiritum S. legere potuit, imo in S. Thoma (1. part. qu. 36. art. 4. et alibi millies); unicum esse in Patre Filioque spirandi principium, nedum assertum, sed et demonstratum legere potuerat (potestque pro eo archimandrita præsens); ex eo quod Patet relatione spiratoris non referatur ad Filium aut e contra, sed ad Spiritum S., a quo spirator unus in duplici persona distinguitur. Hinc, et ab his intulere Græci, non veri adhucve inter Photianos scissos cordati, sed vecordes et stupidi, (†) satius esse parentis guttur impia manu scindere, virginem stuprare, ædes Deo sacras incendere, Turcarum ac Saracenorum sectam amplecti, quam latinismi aliquid præ se ferre; quo nil insolentius dici, audaciusque cogitari credet quislibet christianus. — Et ne a latinis aut græcis nobis addictis tantum auctoribus edoceamini talia detestari, plures a Latinis scissos reticens, audiri desidero in Latinos asperrimum Demetrium Chomatenum, Bulgariæ archiep., scribentem ad Constantinum Cabasilam, archiep. Dirrachii, refellentem Balsamonis sententiam de repellendis Latinis a sacris Græcorum omnibus, his verbis : « *Huic responso Balsamonis præclari*

(1) Vide Comnenum ubi supra.

viri multi tunc non sunt suffragati, ut quod multum duritiei et acerbitalis haberet, nec convenientis reprehensioni latinarum formarum et morum. Et quia, inquit, hæc synodaliter decreta non sunt, nec ipsi Latini ut hæretici publici rejecti fuerint, sed et simul nobiscum cibum (sacrum) sumant et precentur: » (1)

Latinos quoque in Græcorum sacra praxi non vitari, testatur vestrorum rituum elucidator Fr. Jacobus Goar, (2) asserens non tantum quod viderit, sed quod et fecerit : *manibus suis, in omnium presentia palam et in Ecclesiæ conspectu, diaconis græcis sacram synaxim sub unica specie porrexisse ; quod ubi intellexit illorum episcopus, nullatenus improbavit...*

A vestris etiam addiscetis, quomodo tractandus sit Romanus episcopus. Nec cæteros, præter archimandritam theologiæ professorem, hæc ignorare dicam ; cum, me celebrante, et domi et in celebri monasterio Troitzæ (SS. Trinitatis) astitisse archimandritas et monachos non semel viderim ; unde motus, in vestræ Ecclesiæ defensionem insudabo quantum possim et valeam. Talem tamen nobis publice irrogatam injuriam, etsi ab uno, cæteris non

(1) In Jur. Græco-Rom. lib. 1. respons. 2, ad ult. interrogat. pag. 322.

(2) Apud Allatium, De Consens. Eccl. pag. 1660.

prohibentibus, ne putetis quod sustinere debuerim.

« Vix hæc dixisse finieram, cum prælati con-sedentes me rogarunt, ut hoc pro tunc dissimulato (siquidem archimandrita, licet præsens, disputationi expectatæ philosophiæ non præerat) ad novam procederem. Unde projectis duobus quæ habueram exemplaribus, addidi : *relictis ergo super stratum hic pannum exemplaribus quotquot habui, sicut possum, publice satisfio*. Novaque philosophica, debita reverentia resumens, thesim eam qua negabatur causæ primæ prædeterminatio physica ab intrinseco efficax, thomistice impugnavi.

Brevius solito disputatione conclusa, ecce archimandrita theologiæ professor, e consessu communi surgens stetit in medio, audiri postulans, ut a me objectis satisfactorius denuo responderet. Restitere non parum duo adstantes archiepiscopi Rezanensis et Twerensis ac archimandritæ complurimi; sed instantem denuo ut permitteretur loqui precatus ego ipse adjuvi : *quid hodie respondeas, vix prævideo*, dixi; *qui die altera opus aliis habuisti in sustinenda thesi*. Sed quid dicturus erat simplicissimus notus homuncio? Ecce. « Quisquis, ait, peccat a fide deficiens, est extra Ecclesiam; sed papa sic defecit, docens Spiritum S. procedere a Filio, contra Evangelium asserens quod a Patre procedat;

ergo est extra Ecclesiam » Obmutescenti post hæc serio intra horam cogitata, subintuli : « Ergo potius similis theologus meretur ejici extra scholam. Ecquis, apposui, vir bone, dicet te docturum theologiam, audiens te ignorantem tuum catechismum; qui Ecclesiam in particulares distribuens exprimit Romanam ? Papam extra Ecclesiam declarare, ad-junxi, nec tu potes, nec totus iste congressus, nec tota Russia, nec tota Græcia, nec (modo a te incomprehensibili) tota Ecclesia, quæ sine papa perfecta non est, sed corpus acephalum, non sic a Christo institutum. Nec enim in casu notæ hæresis judicium ferretur in papam, sed in eum qui a papatu deciderit antea, ob publicam hæresim ; ita ut numquam in papam feratur humanum judicium, sed in eum qui sensibilibiter hæreticus factus, indeque sensibilibiter mystice mortuus, seipso a dignitate capitis corporis visibilis vivi jam decidit » .

His non modice accensus; cunctis tamen ut finiretur contentio petentibus, acquievi. »

Écho fidei, part. I. pag. 523 et seq.

APPENDIX III (ad pag. 26).

« Riturum vocans *Orientalis confessio* formam crucis faciendæ quam christianis præscribit, pro Græ-

cis traditam designans, ritum in usu Latinorum non omnino eundem, sicut cæteros in quibus differimus reprobare non intendit; sed antiquum et laudabilem a Græcis retentum explicuit. Pariter Latini nullatenus impugnare possumus Græcorum ritum, quia manus ducatur, dissimiliter ac inter nos, ab humero dextro ad sinistrum: tum quia quolibet modo efformetur, fides in Christum exprimitur; tum quia ritum nostrum apud Græcos Græcorumque apud Latinos viguisse quondam, pluribus antiquis testibus demonstravit jam Leo Allatius.

Duo proinde puncta tacta hic, examinata cum ruthenis prælatis non semel, hæresim inter ipsos (vulgo *Raskolnicorum*) damnatam, sustentatam a non paucis, movent detegere et christianum orthodoxorum ritum paulo fusius explicare.

Primum ita proposui. Mirandum videtur, tam stricte, in componenda manu, verbis *Confessionis* standum esse, ut pro hæresi damnetur contrarium. Quid etenim interest, quod Rutheni (sicut communiter Græci) *tribus majusculis digitis* productis, et in extremitate ex interiore parte conjunctis, reliquis duobus parum inflexis; Rascolnici vero e contra, *non nihil elevandis indice et medio, unien- dis annulari et auriculari contractis cum pollice*, crucis formando signo manum disponant? Cujus-

que momenti hæc notetur, non cultus, sed ritus disparitas, ut (cætera inter) istud judicetur principium hæresis caputque dissidii? Nec enim apparet ob hæc sufficiens motivum, ut in synodo nationali Moscuæ, sub patriarcha Nicone, Tzare Alexio Michailowitch, anno mundi 7162, Christi 1654, damnati fuerint velut exitiales hæretici; isti quoque in suo errore ita contumaces adhuc perseverent, ut post plures igni traditos inextincti, reliquo populo eos vitante, quasi infamiæ signo notescendi (sicut Romæ Judæi), panno supra dorsum supervidendo rubro, incedere permitti, nunquam Ecclesiæ acquieverint. Plures igitur ritus ac colendi Deum modos diversos cum videamus, qui nec in Græcos a Latinis, nec in istos invicem hæresis notantur; imo crucem diversimodo formatam Latini et Græci mutuo collaudamus: quidnam in Raskolnicis istis prælati rutheni damnandum tam serio duxerint, quæsiivi: quo eos hæreticos esse, cum ipsis sentirem.

« Responsum autem, quod transcribo, ab erudito archimandrita supra nominato, Theophilo Krolik, habui sequens: » Dum Ecclesia in Catechesi quæst. 41, *non dogma*, sed antiquissimum et in omnibus orientalibus ecclesiis usitatum modum formandæ crucis proponit, intendit in modo illo uniformem unitatem fidelium *subjectorum* (non Latinorum).

Quam unitatem in solo hoc ritu aut aliis pure ritibus, si ita dicti Raskolnici seu dissidentes nostri Rutheni pertinaciter non servarent, adhuc damnandi essent jure ab Ecclesia, tanquam schismatici, quo nomine et insigniuntur : *Raskolnik* enim nil aliud sonat quam schismaticum. Quia vero a pertinacia ad heterodoxiam et blasphemiam descendunt : primo, statuendo, efformatam a suis crucem pollice, annulari et auriculari digitis esse dogma fidei, et aliter formatam ab orthodoxis christianis vocant blasphemum sigillum Anti-Christi. Secundo, quia tanquam articulum fidei venditant, crucem Christi Domini fuisse octangularem, id est, præter obliquum et rectum lignum, duo alia ligna pro titulo et scabello obliqua itidem habuisse, non opinantur, sed statuunt ; e contra crucem quadrangularem ex quacumque materia efformatam, pictam, incisam, sculptam aut impressam, crucem latinam ac hæreticam blaterantur (Ecclesia e contra utramque crucem admittente) ; atque propter usitatum jam modum adhibendæ crucis in celebratione sacramentorum a nostris ministris, ipsos ministros, sacerdotes, sacramenta et hierarchiam ecclesiasticam rejiciunt, ac horrendis, sed ridendis diceriis prosciunt et cavillantur. Tertio, quia libros ecclesiasticos, ritualia, menologia et reliquos in ecclesiis receptos, propter ignorantiam

linguarum a translatoribus non accurate e græco versos, per incuriam descriptorum calligraphiæ et orthographiæ ignarorum adhuc magis depravatos, ac succedente typographia cum iisdem mendis impressos; item imagines antiquas et schediasmata, fabulosa, anilia et ab Ecclesia non approbata, tanquam antiquitatem sacram detinent mordicus et venerantur superstitiose. E contra libros tum a Nicone, tum ab aliis patriarchis, cum consensu regio ac universi cleri Russiæ, ad normam lectissimorum manuscriptorum græcorum ac græcis patriarchis submissorum correctos, utcunque emendatos ac reimpressos; item novas et elegantius pictas imagines sacras, tanquam profanam novitatem, contemnunt et aversantur.

Quarto, quia parerga pro ergis et e contra accipientes, ritusque pro dogmatibus sancientes dogmataque adeo vera respuentes, tum palam, tum clam seditiones moverent, et nunc a pseudologis passim excommunicatis aut a sacrorum ministerio suspensis, transfugis, clam instigati, nemine persequente, pacati, ad silvas et latibula sese conferant, ibi veram Ecclesiam latere dictitantes; interea in multigenas sectas et antiquatas jam hæreses scissi a falsis et apostatis antesignanis nomina adsciscunt. Dum, inquam, sub prætextu signi crucis dicta omnia agunt propter crucem quidem (in citata a te

synodo) tanquam schismatici; propter alias vero hæreticas novitates tanquam hæretici jure meritis-
simo damnari potuerunt et adhuc ab Ecclesia dam-
nantur : cum non minus hæresis sit, vera dogmata
scienter et pertinaciter impugnare, quam eadem
advertentia falsa adstruere. »

Hinc, explicato Raskolnicorum errore, plus stoli-
ditatem sapiente quam hæresim, plusque a mentis
inopia nato quam, ut assolet, a novitatis amore, con-
stat Ruthenos et Græcos nil male de Latinis in for-
manda cruce sentire; nilque, Raskolnicos etsi cohi-
beant, circa modum adorandæ crucis resolvere,
etc., etc. Nec minus seductori diabolo obsecu-
tam videmus hic ingenii hebetudinem, quam inter
nos aliorum malignitatem.

Secundum frequentius mihi licuit Ruthenis propo-
nere dubium : quare scilicet ipsi se cruce sig-
nantes a dextro manum ducerent ad sinistrum hu-
merum, cum Latini e contra eam ducamus a sinistro
ad dextrum?... Prænominatus archimandrita Kro-
lik omnem rationem ad usum reduxit, ut nec
attendenda in ritu significationis indagine, pro-
prium sustineret. « Quamvis, rescripsit, a primitivis
christianis crucis signum non aliter quam tesseram
christianæ professionis, item ad demonstrandum,
quod eos ignominiosæ apud gentiles crucis Salva-
toris sui minime puderet, usurpari cœptum esse

constat; atque adeo gratis reliqua mysteria fidei in eo quærantur, quæ ex aliis fundamentis peti debent; usus tamen crucis in Catechesi descriptæ et ab Orientalibus antiquitus usurpatæ, ex nostris quidam *curiosiores* rationem reddunt, nos per id signum profiteri debere aut velle descensum de cœlis in terras (per cursum manus a fronte ad pectus), ac post Redemptionis nostræ œconomiam consummatam, sessionem Servatoris nostri ad dexteram Patris (ecce factum humeri dextri); ac liberationem generis humani a sinistra parte reprobatorum (et hic designatur humerus sinister). Sed nec hæc nec similes rationes tanti sunt, ut de illis sollicitæ et scrupulosæ formentur quæstiones. » — Hæc archimandrita: quem siquidem S. Theologiæ præceptorem noverat schola Moscuæ, non audeo catechistam interpellare... Fateor sibi, mysteriorum fidei rationes esse aliunde petendas; nec tamen *curiositati*, sed devotioni plurimum dabo quæsitæ rituum expositiones, dummodo sana doctrina servetur in cunctis. Nec tandem mutandum, imo servandum dicam sacerrimum, cujus antiquos patres habuisse legimus, crucis usum: nec enim patribus doctiores sumus, nec sine præsumptione usus et voces ipsorum mutamus.

« Addam, a me observatum in juventute græci presbyteri ritum, a quibusdam tunc impugnatum,

a me theologiæ descendæ tunc operam dante defensum. Celebranti in nostro Prædicatorum Barcinonensi S. Catharinæ Virg. et Mart. templo græco sacerdoti adstitimus religiosi fere cuncti. Formato crucis signo, missa sacra initium habuit. Illud vero peculiari hocce modo perfecit : a fronte ad pectus, sicut cæteri, manum dextram duxit ; inde junctas eodem tempore ambas manus ad humerum correspondentem utramque applicans contulit ; ex ambobus mox humeris, junctis manibus, crucem osculandam utroque pollice formans, orique admo-vens. Coram cunctis, finito sacro, ratiunculam quamdam ab eo exquisivi : latine siquidem eum poteram alloqui ; nullam tamen audivi, præterquam quod sic celebrare edoctus erat. Quem civilissime a nobis resolutatum dimisimus. Non deerant e monachis, quibus non placeret ritus insolitus, caventes, ne in eo alicujus erroris lateret virus : celebrans enim, sicut Latini, credebat de processione Spiritus S. Absit, ego subaddidi ; imo si stemus ritus illius cæremoniæ, nullo modo melius significari potest dogma nostrum catholicum a viro græco, nobiscum de Spiritus S. processione consentiente. Cum enim duas personas spirantes duo spirandi principia inferre Græci dissentientes edoceant, simultaneo manus binæ motu, actioneque uniuersa ad duos humeros tendente, unicam expri-

mit notionalem voluntatis spirantis actum, a duobus qui in spirando unum sunt (sicut tres personæ unus creator), procedentemque Spiritum sanctum per illum; explicatque sic, Patri et Filio unicam spirationem communem.

Echo fid. part. 1 p. 335 et seq.

APPENDIX IV (ad pag. 33).

* *Confessio Orthodoxa fidei catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ*, cui æquius catechismi christianorum in Oriente titulus præfigeretur, interrogationibus siquidem et responsis, ceu discipuli et magistri hunc erudientis composita, tum græco-latinis, tum slavo-ruthenis typis exarata producitur: istis Moscuæ non semel, illis tandem juxta authenticum et a græcis patriarchis subscriptum exemplar in regia christianissimi bibliotheca servatum, interprete Laurentio Normano, Lipsiæ per Thomam Fritsch, anno 1695. — Liber est cui Græci et Rutheni, Romanorum fidem haud profitentes, quasi orthodoxæ regulæ adhærent. Hunc a sapientissimo Petro Mogila compositum, a Meletio Syriago perfectum, a pluribus Græcorum synodis approbatum, a

tota fere Græcia receptum, ad manus habeo : quo apud M. Arnoldum (in Resp. ad Joannis Claudii librum, cap. IX, pag. 137 verbis e gallico versis) legimus : « *Dogmata cuncta circa quæ Græci a Latinis discrepant, ibidem sustinentur, nulloque modo suspicari licet, auctoris Confessionis hujus dependentiam aut affectum erga Romanam Ecclesiam habuisse. Unde difficulter cogitaretur opus minus suspectum, majoris auctoritatis aut plus authenticum, quodque securiores nos faceret indubitatas totius Orientalis Ecclesiæ continere sententias.* » Librum hunc *Confessionis* a Meletio Syrico, jussu synodi Cpolitianæ, diligentissime revisum et ordinatum, expensis *Panagiotæ* bis typis datum, testatur patr. Dionysius. Meletium quoque, tantæ auctoritatis virum in Græcia auctores memorant, ut proluxa confutatio calvinizantis confessionis Cyrilli Lucarii patriarchæ Cpolitani eidem commissa et magni habita in calvinistarum Galliæ confusionem memoretur a celebri illo Panagiota (in Epist. ad Carolum March. de Nointel, legatum christianissimi ad Portam, anno 1671, 10 decembris) ; eundemque duabus damnationibus Lucarii sub Cyrillo Beroensi et Parthenio patriarchis subscriptum memorat calvinianæ causæ defensor Joan. Claudius (in Resp. ad opus M. Arnoldi, tom. III, pag. 314). Libellum hunc, insuper, a synodo Constantinopolitana,

subscriptis patriarchis Parthenio et cæteris Orientalibus, octo episcopis, pluribusque illius Ecclesiæ doctoribus et officialibus, anno 1643, sic invenio commendatum : « A germana sorore nostra, Russiæ
« Minoris Ecclesia, nobis transmissum, de com-
« muni ac *synodica sententia* decernimus, man-
« damusque pio cuivis et orthodoxo christiano,
Orientalis et Apostolicæ Ecclesiæ civi, librum
istum sedulo lectitandum esse ; quem ideo, in per-
petuam rei fidem securitatemque nostris sub-
scriptionibus communimus. Clariusque patriarcha
Hierosolymæ Nectarius (epist. præaddita, anno
1662) : « Hic tibi versandus libellus ; inscribitur
« *Orthodoxa Confessio Græcorum*, sincera nimirum
« et pura, quippe quæ nihil usquam admissæ ex
« aliis religionibus novitatis habet. Consignata
« autem eadem initio ab Ecclesia Russorum : Petrus
« Mogila, orthodoxus metropolita electus creatus-
« que Kioviensis, gregem suum novis quibusdam
« SECTARUM OPINIONIBUS confusum infectumque of-
« fendit. Quocirca, quemadmodum bonum pasto-
« rem decebat, piissimum Deoque gratissimum sibi
« scopum proposuit, radicitus extirpandi quæ tunc
« illis in locis caput attollere cœperant, NOVITIAS
« OPINATIONES » (id est Lutheri et Calvinii hæreses,
quorum catecheses noviter tunc vulgatæ circumfe-
rebantur, russo idiomate typis datæ, primum

Nesvizii in Lithuania an. 1562, deinde *Holmiæ* in Suecia an. 1628 ; quibusque scandalis Græcia non caruerat, sub Cyrillo Lucario patriarcha Cpolitano, cujus calvinizantis ideoque depositi, strangulati et damnati *Confessio* catechetica tot in Græcia suscitaret dissidia). Ad id, « coacto metropolitanam in « urbem celebrium et eruditorum provinciæ suæ « virorum cœtu, immo accitis ante illos tribus « episcopis suis, inter omnes convenit, de hac fidei « suæ expositione scripto capitulatim consignanda, « illiusque maturiore cognitione, Ecclesiæ Cpolitanz « et sacræ ejusdem synodo commendanda. Con- « fecto hunc in modum libro, cui EXPOSITIONIS FIDEI « RUSSORUM indicem inscripserant, a Magna Ecclesia « Cpolitana curatores synodicos ac patriarchales « exarchas arcessunt ; sic itaque illuc mittuntur « sanctissimus Niceæ metropolita Porphyrius et « Meletius Syrigus : quo (scilicet in congregatam, « aliis quoque causis, synodum nationalem in Mol- « davia) et a Russis missi venerunt Isaias Trophi- « movitz, Josephus Cononovitz et Ignatius Xenovitz. « Hi igitur perpurgatum ab omni aliena doctrina « illaque NOVITATUM concretionem librum ad optimum « hunc finem perduxere, indeque ex templo piissi- « mis atque orthodoxis quatuor patriarchis sedium « apostolicarum successoribus perlustrandum mi- « sere quem et illi pariter, tanquam genuina

« continentem dogmata, nullaque omnino in re a
« catholica et sincera Græcorum fide deerrantem
« comprobarunt; et non Russorum tantum, sed
« universaliore nomine, *Græcorum omnium ortho-*
« *doxam fidem* appellarunt. »

« De tempore insuper quo liber hic compositus
fuerit, loquitur synodus Hierosolymitana sub pa-
triarcha Dositheo celebrata, anno 1672, in hunc
modum : Ante hos sex septies maxime annos (igi-
tur an. 1630), in lucem liber hoc titulo prodiiit :
Confessio orthodoxa Ecclesiæ Orientalis. Scriptus
ille quidem a sanctissimo illo metropolita Kioviensi
Petro (Mogila), sed dilucidior emendatiorque fac-
tus, jussu synodi Glascensis (lege Jassensis), a
Meletio Syriago Cretensi, quem librum et tum utique
recepit, et nunc etiam recipit universa plane Eccle-
sia Orientalis. »

Nullo eapropter securiori ductu dogmata a Ru-
thenis professa investigare licet, aut examinanda est
Ecclesia, cujus confessionem tota Græcia, totusque
Oriens et approbat et amplectitur. Indeque evanidas
sive fictiones sive æquivocationes auctorum plu-
rium facere; quos ex his quæ vidi præsens vel de-
cipientes vel deceptos notavi. Hos ut plurimum
Lutheranos observo, qui contra Ruthenos, aut ca-
lami pruritu impellente, rusticorum deliria refri-
cant, aut implacabili in sibi devios phrænesi

agitante, infixis maledicentiæ dentibus, etiam Orientalis Ecclesiæ depasci se putant artus. Furor, inquam, illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas. Sed Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus (Ps. LVII, 5, 7). Deplo-randa, fateor, quam expertus sum in populo igno-rantia, subdolaque ac infatigabilis hæreticorum in eo seducendo malignitas communem Græco-Russi-canæ fidem taliter offuscant, ut difficillime etiam ab ejusdem Ecclesiæ hominibus inquiratur. Non desunt tamen viri sapientissimi, qui ei explicandæ idonei, mecum congressus non spernentes, ultra id quod verbo scriptoque promserunt, ultraque ea quæ se-cum in ecclesiasticis ritibus, in ministrandis sacra-mentis, in ordinandis presbyteris, in fere cunctis liturgiis, concurrens ipse viderim, libellum hunc *Confessionis orientalis Ecclesiæ* lectitandum tradi-dere, quo ipsorum Ecclesiæ certam instructionem habuerim.

« Sexaginta circiter annis præcesserat *Cate-chismi Romani* per S. Pium publicatio, quo profligata inter Latinos multiplex Novatorum hæresis; hæc alio versa, latrociniali more iavadendi minus vigiles, Græciam aggressa, nec Russiam expergefaciendam putaverat. Nec credendum est, latuisse metropolitanam Mogilam, paratum hoc inter Latinos

Ecclesiæ pharmacum, ultra Tridendinæ synodi decreta, in *catechismo* pro parochis ad plebem edocendam disposito : ut ipse quoque, ultra triplex responsum patriarchæ Hieremiæ ad confessionem Augustanam, ultra refutatam iterato aliam Lucarii, ultraque plures Græciæ synodicas sanctiones, alium quoque catechismum ordinaret pro plebe. Eundem ergo sibi scopum præfixisse jam vidimus, *novis tum scilicet sectariorum opinionibus, et quæ tum caput attollere cœperant, novitiis opinionibus occurrere*, quem Catechismus Romanus expresserat in præfat. sect. 6. »

Echo fid., part. I. ipso initio.

APPENDIX V (ad. pag. 33).

« A Latinis vitiata exemplaria, nullum concilium decrevit ; a Græcis (antiquissimis etiam) utique. Sexta synodus generalis seu Cpolitana III videatur (act. 6). Lecta sunt acta antecedentis synodi V ; et ad instantiam Legatorum Romanorum expetitis originalibus dicitur : « Et inspicientes imperator una cum iudicibus et quibusdam de sancta synodo episcopis, invenerunt tres quaterniones in principio libri additos, non habentes subnotationem nu-

meri, falsatus enim erat liber ab hæreticis in nonnullis locis etc. » Supersunt ergo testes.....

Simile quid legitur actione XIV ejusdem synodi.

« Utinam postea ab aliis imitata hæc fraus non legeretur. Conqueritur siquidem S. Leo papa, ep. ad Palæstinos, de corrupto jam ejusdem tempore ipsius epistola ad S. Flavianum. Sicuti S. Gregorius (ep. XIV ad Narsem) ex asserta corruptione synodi Chalcedonensis et suspicata Ephesinæ a Græcis, infert longe veraciores Romanorum codices. Ideoque Nicolaus I (ep. ad Michael. Imperator.), allegans epistolam *Adriani ad Tarasium* advertit : nisi falsata Græcorum præcedentium more fuerit ; repetendam eam quam producit, si quomodo ab apostolica sede missa fuerat penes Cpolitanam Ecclesiam integra servaretur. Omittamus hujusmodi plura ab aliis collecta, apud Bellarminum requirenda (Controvers. tom. 1, cap. 2 de Rom. pontifice lib. 4) « Posset tamen hic dubitari, a quibus Græcis vel novam fidem christianam receperit Russia, vel hanc perditam recuperaverit? Hoc factum fuisse narrat Baronius (tom X, p. 255) in finesæculi noni ; sed plures ponunt in fine sæculi X, quo sine dubio regnavit Vladimirus, primo baptizatus et vocatus in regeneratione Basilius. Ab anno itaque 865 divisit Photius Græciam, intrusus in sedem Cpolitanam contra Ignatium ; depositus anno

869, restituto Ignatio, in synodo œcumenica (quam nos vocamus octavam): sed mortuo Ignatio reasumptus, ita prævaluit, ut (demptis paucis contradicentibus) tota fere Græcia usque nunc illius fidem secuta fuerit, interpolata unione nobiscum quorundam prælatorum aliorumque. Ex alia parte videmus Ruthenos hanc synodum VIII non admittere, deponentem Photium; quam, nisi Photii causa, credo venerarentur nobiscum, sicuti cæteras in Græcia habitas.

« Resolvi inde non posset (utique timeri ad minus), Ruthenos jam in primordiis recepisse doctrinas et codices vitiatos, quibus Græci ab Ecclesia Romana divisi Ruthenos ad se traherent. Itaque (pro nunc) non decido, inter Possevinum contententem Ruthenos conversos a Græcis (ut vocamus) schismaticis, et Papebrochium (præfat. ad Ephemerides Græco-Russicas) asserentem conversos istos tempore unionis Ecclesiæ Latinæ cum Græca, ut inde probet plures Sanctos quos illius ævi colit Russia esse ab omnibus venerandos. Videatur meum responsum Antapologeticum (sect. 4, num. 7, pag. 8 seq.), in quo duplicem Ruthenorum conversionem adduxi temporibus utriusque Basilii I et II; ubi etsi non Photianos Græcos fuisse conjecerim missos in Russiam a Basilio I Macedone; tamen nec de his, nec de aliis a Basilio II in Rus-

siam directis aliquid certi resolvo. Tantum hæc notavi ; quia etsi episcopi et presbyteri, quos Vladimirus baptizatus ab imperatore Basilio II recepit et conduxit in Russiam, schismatici non fuissent, cum videamus, Ruthenos æque non retinere sequentem pseudo-synodum anno 879 Cpolitanae sedi reintroducendam Photium schismatis patrem ; tamen, vel ex ignorantia, vel ex aliorum malitiis, potuerunt quidem accipere depravata conciliorum exemplaria, quæ non bene referrent decreta pro suprema capitali dignitate Romanæ Ecclesiæ. »

Echo fid. part. II, p. 58, 61.

APPENDIX VI (ad pag. 35).

**De auctore Officii Præsantificatorum pro
Quadragesima.**

« Ruthenorum traditioni (sicut Græcorum cunctorum) consentio : scilicet auctorem Officii Præsantificatorum, quo utuntur cum Græcis in Quadragesima, fuisse Gregorium Magnum, quidquid dubitet Baronius (an. 726 n° 34) vel Gregorio II attribuat : cum quo falluntur quoque Gavantus et Burius (in Vita ipsius) dicentes, istum assignasse Evangelia et

Officia propria feriis V Quadragesimæ, quibus ob solemnitatem carebant in Antiphonario et sacramentario dispositis per Gregorium I. Quomodo enim credendum est, hunc qui jam festum feriæ V reperit ab Agapeto sublatum ; qui Quadragesimam continuam feriis V quoque jejunandam indixit, qui Officium ecclesiasticum Quadragesimæ integræ ordinavit, feriam hanc V in quadragesimali lugubri Officio etiam non comprehenderit ? Nec discussio igitur Goarii (not. in præsanctif. Offic. n° 44, pag. 210) pro Officio præsanctificationum apud Græcos aliquid obstat : nec manuscripta Cryptofer. et Barberini quibus fedit, contra traditionem Græcorum quam rejicit, quidquam probant, ut Germano Constantinopol. antistite componente, Gregorius II Romanus Pontifex confirmans Officium illud Græcis imposuerit. Claudicare siquidem Goarii deductionem (venia tanto viro præstanda) est sole clarius. Fateor, quod ipse objicit, synodum Trullanam annis 87 Gregorio I posteriorem ; hinc tamen nunquam probavit Goarius, non Gregorium primum, sed secundum concurrisse ad præsanctif. Officium, de quo synodus illa can. LII sanxerit : *in omnibus diebus Quadragesimæ jejunii præterquam sabbato et Dominica et Annuntiationis die, præsanctificationum sacrum Officium fiat.* Vigilantissimus certe auctor iste et fidelis Gallus in grammaticali versione

liturgiæ, narrandisque à se visis et lectis in Græcia ; sed hic eundem dicam defecisse in ecclesiastica historia. Nam Gregorius II pontificatum ascendit anno 714 usque ad 731 ; synodus autem Trullana habita est anno 694 sub Justiniano II, qui *fidelis et obtemperans* (ut ibidem legitur) *subscripsit* quique obiit anno 711, tertio ante papatum hujus Gregorii. Facilius ergo fuit, synodum Officium illud ab antecedenti Gregorio I inter reliqua ejus scripta venerata, a Græcis habitum et jam in usu receptum a pluribus, pro omnibus præcipere, quam a sequuto Papa post 23 annos componendum vaticinare. Nec Gregorium II ante papatum Constantinopoli notum probabit aliquis, sicut *primum* qui illic apocrisarius Pelagii II antecessoris fuit. Nulla igitur ratio est, ut attribuaturs illi id, quod ante ipsum fuit. Sicque standum est traditioni Græcorum pro Gregorio I, qui videns Græcos (ex can. 49 et 54 syn. Laodicen.) tempore jejuniorum omnino a sacrificio abstinere jam a duobus sæculis, id ad minus procurasse, ut sub vesperam, pane præconsecrato à dominica populo proposito uterentur ; quod, singulari ad hoc Officio edito, a pluribus antea factum, fuit omnibus in synodo Trullana præceptum ; sicut Goarius (hic sui oblitus) paulo ante tetigerat scribens : *Atque ita non nova primum ejus institutio in synodi Trullanzæ can. LII, sed instituti jam ritus*

premens magis ac sedula commendatio legitur (Ibid. n° 1. pag. 205). Parcatur ergo illi, quod statim (n° 44. pag. 210) panis ipsius præsanctificati Officium Gregorio II tribuerit, quem synodus hæc (Officium supponens) 23 annis præcessit. Standum itaque traditioni. »

Echo fidei, part. II, pag. 118.

APPENDIX VII (ad pag. 57).

« Quartum Ecclesiæ præceptum Orientis *Echo* exponit : ut annuatim quater peccata nostra sacerdoti rite ad id exposito confiteamur... Illi vero qui religione ac pietate antecessere, singulis mensibus scelera sua expiant... Simpliciores semel ad minus in anno, tempore nimirum S. Quadragesimæ, lustralem delictorum suorum confessionem facere tenentur... Morbo pressi curabunt primum, quam citius suæ conscientiæ sordes confitentes, cœnæque sacræ participes, diluere; reverenter tamen, rite usurpato antea sacro chrismate. »

Ibid. pag. 187.

APPENDIX VIII (ad pag. 63).

« Tertium præceptum Ecclesiæ sic exponit *Echo* : Ut spirituales viros debita colamus observantia, sicuti Dei ministros et sectatores, pro nobis apud Deum deprecatores. Inprimis autem eos, qui tanquam patres spirituales confessiones nostras suscipiunt, quosque consulere debemus ad curam salutis nostræ. De hoc præcepto sic Scriptura fatur : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* (1 Cor. IV, 1). Et : *rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsumt vobis in Domino et monent vos. Ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum.* (1, Thess. V, 12).

Item alibi : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt ; et qui altari deserviunt, cum altari participant ? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (1 Cor. IX, 13) Rursusque : *Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur ; maxime qui laborant in verbo et doctrina* (1. Tim. V. 17). — Nefas autem est profanis et laicis hominibus in munia spiritualia se inferre aut immiscere, dicente apostolo : *Fratres, si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui*

• *spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* (Gal. VI, 1). Sic *Echo* (part. II pag. 141). »

.Bipartitum præceptum hoc, longum undique exigit calamum..... Itaque in priore quæstionis parte agit Ribera *de honorando sacerdotio*, in posteriore vero *de non arroganda sibi a laicis jurisdictione in sacra*; qua data occasione binam addit dissertationem *de compatibilitate dominii temporalis cum supremo regimine spirituali*, nec non *de origine, justitia et utilitate dominii temporalis summi pontificis* (pag. 143-187).

Quædam ex priore parte decerpamus.

Occurrit Ribera « tot de rebus Ruthenorum scriptoribus (pro majore parte Lutheranis), qui quasi illusuri referunt piam illam cæremoniam Czarum, die dominica palmarum, vehendi per frænum equi cui quondam patriarcha insideret, ad repræsentationem Christi : sicque processionem solitam a templo S. Mariæ ad aliud cui nomen Hierusalem, circa arcem, associandi. Patriarchatu suppresso, imperantium hic mos in desuetudinem abiit ; sed sub patre præsentis imperatricis (puta Annæ) et Petro I in descriptam eam processionem (ex Warmund: pag. 58) : « Primo arbor ad quam varii fructus alligati in humili curru, quem equus trahe- ret, præcedebat, cui insidebant quatuor pueri candidis amicti stolis, cantantes Hosanna. Hos

excepisse sacerdotes (*popas*) pontificalibus indutos, portantes cruces, vexilla, imagines, thuribula fumantia. Post hos, principes et consiliarios Czaris et reliquos nobiles, binos et binos processisse, plerosque ramos palmarum gestasse. Hos sequutos utrumque Czarem Iwan et Petrum Alexiowitch fratres tunc simul regnantes, qui a quatuor boiariis splendide vestitis deducebantur. Czar uterque patriarchæ equum, cui longas aures artificiose addiderant ut asino esset similis, manibus habenas longiusculas tenentes, ducebant. Fictus ille asinus nigro panno involutus erat, cui patriarcha, eo quo apud nos mulieres equitare solent modo, insedit, indutus pontificalibus pretiosissimis vestibus, in capite gestans mitram unionibus distinctam, cui aurea superimposita erat corona. Dextra, crucem auream adamante ornatam, qua populum adstantem benedicebat. Ad latera et a tergo patriarchæ incedebant metropolitæ, episcopi et alii ecclesiastici, libros pars, pars thuribula portantes, quos primarii mercatores et populus comitabatur. In via puerorum plurimi jussi erant consistere et partim vestimentis suis, partim aliis rebus viam sternere, ut sic per illas Czares et patriarcha incedere possent..... Czares hac ratione humilitatis documenta se dedisse, ipsique Salvatori hunc honorem, idque in memoriam ipsius, exhibuisse cre-

dunt. (Haud dubium ; et ab eo exspectabant mercedem). Fateor hæc jam Moscuæ, sicut patriarcham, exolevisse. Sed asseram me vidisse in Epiphania, recipientem imperatorem (ipsiusque sororem) aquam benedictam quam sibi ab archiepiscopo delatam, sicut in aliis cœremoniis publicis; cujus, devotissime exoculatis ministrantis manibus, benedictionem episcopalem profundissime inclinatus receperit...

De cæteris Ruthenis alius vidisse se dicat quid velit ; nec negabo enim non deesse ecclesiasticos indevotos ; me tamen, despectum vidisse quemdam, impostor sicut plures detraherem ; imo et populum benedicturo sibi sacerdoti occurrenti accurrere dicam, ac ipso salutando humillime submitti. Archimandritas qui adeunt, eos quasi in ingressu ad terram prosterni, plus cæteris exteris cum ipsis concurrens, communissime vidi. Si in quibusdam notatur in ecclesiasticos despectus, utinam inter nos (extra Hispaniam ad minus, ubi et Hispanis loquor), æqua esset populi in ecclesiasticos reverentia.

Mendacissime igitur Oppenbusch, ex Amsteldamo Argentoratum petens, intraque illius academiolam, chartam forsitan geographicam Russiæ videns, indeque sciolus mores Ruthenorum collecturus, inter Argentoratenses Lutheranos ludimagistros lauream ducturus, æque ignoranter ac

audacter scripsit et prælo dedit : *Præcipuus* (sacerdotum Ruthenorum) *ornatus birretum est, in quo poparum consistit veneratio*. Multa magna mulctatur qui diverberans popam, pileolum hunc tetigerit ; parvi autem penditur, si cui libuerit sacerdotem depectere (quod rarum non est, idque in cabacis seu symposiis) mitram hanc sacram detraxerit, capitique cæsi mox decenter rursus imposuerit (De religione Moscovit. exercit. hist. cap. II. pag. 12)..... Ecce Strasburgi (si Argentoratum non noscitur) quinam et quo examine doctoratus lauream arripiunt, quam lepidi e loco superiori loquantur mendaciorum magistri ! Pudeat talibus detrahere populo christiano, pergantque doctorandi similes in Russiam, a vetulis edocendi. — Nec minus Sacranus in *Elucidario*, potius tenebrario, asserit : *Licere sæcularibus dominis sine censura, ecclesiasticos percutere et verberare ; sicut etiam deponere, etiam patriarchas, episcopos et sacerdotes*..... (Cap. II, error Moscovit. 40^{mus}.) Certe isti non legerunt Ruthenis legibus cautum : Patriarchæ officiales aulici, filii nobilium, subditi cæterique cujuscumque conditionis homines qui vivunt in patriarchatus bonis, judicentur in quacumque causa, sive actores sive rei, in aula patriarchæ ; *numquam* enim tempore antecessorum Czarum et piæ memoriæ Domini Czaris totius

Russiæ Magni Ducis, Michaelis Fedorovitch, *ad aliquam cancellariam vocati fuerunt*, sed semper ad illam cui ipse præsidet (Statut. Moscov. Cap. XII, leg. 1.)..... Legat tandem quislibet eadem statuta Moscovitica (Cap. X a num. 30 ad 88), ubi nedum ictus, sed et indecentia et injuriosa verba in ecclesiasticos, a patriarcha ad infimum diaconum, prohibentur sub diversis pœnis carceris, flagellorum, scuticæ (Knut et batoge) et mulctæ pecuniariæ, secundum personarum offensarum discrimen.....

In Russia (cui nunc omnem felicitatem in unitate nobiscum desidero), pro causis criminalibus judicabantur antea clerici a laicis, cum patriarchæ consensu; nunc, pro eisdem, in quibusdam casibus puniendis, semper consulitur synodus. Ubique sal terræ evanescit, ut conculcetur ab hominibus (Math. V, 13). Apud Lutheranos nedum totum *evanuit*, sed totum *ejectum est foras*. Criticent hi Ruthenos quantum voluerint; manet in his verum sacerdotium, neutiquam despectui habitum. »

Echo fid. part. II, pag. 146-151.

APPENDIX IX (ad pag. 64).

« Vetita tempora nuptiarum, juxta canonicam praxim (a can. LII Laodic., pluribi in jure can. et græco Nomocanone) taliter Rutheni observant, ut nec pro Imperante Petro II, quem inexpectata mors, parato sibi thoro, anno 1730 vix inito rapuit, dispensabilem cogitaverint legem sacram illi quibus sponsæ jam publice spectata cum throno corona stabilisset supremos quos in orbe illo et Imperantis animo occupabant jam gradus: quæque e capite hujus cui supra pendebat, in ejusdem sexus ex imperiali stipite aliud evolans, integræ, vix non viduatæ illius sponsæ stirpi, egestatis durique exilii in Siberiam, extremaque alia sentire fecit incommoda (Imperiali non tantum voluntate, sed et æquissima Imperantis trutina, ut dicitur, juste decreta sententia).

« Superveniens sponsalibus imperiali pompa peractis jejunium ante Natale Domini nuptias ad peractum Epiphaniarum festum complendas distulerat. Eis perficiendis nil omiserat Aula Imperiique magnificentia. Noto principis vix puberis amori dura ostendebatur bimestris illa ducendæ electæ sponsæ dilatio. Hujus a nationali subdita familia non ignorabantur fortunæ vicissitudines, quibus

transferibilis corona cognatos haberet expositos : præcesserat siquidem alterius stirpis Mentzikowianæ, agentibus Dolgorukis ipsis ruina, recusata ex primis sponsa, quam Imperatori destinarant impuberi. Quæ, si secundi non præviderant, æqua fortunæ sævitia didicerunt. Cuncta hæc non invisa nil non observandum intulerunt in lege sacra. Dilatæ ergo nuptiæ Imperantis extremæ ægritudini tandem cessere : cum exitiales aggressæ principem virulentæ pustulæ in eadem Epiphaniæ sacra solemnitate ipsam Imperatori disposuerunt diem ad feretrum, quam amor sibi fere conjugalem destinarat ad thalamum : quosque nemo non credebat plene moderaturos imperium, cum luctura sponsa vix non degustatum conjugium, fatum pepulit in miserandum exilium (p. 239).

APPENDIX X (ad pag. 82).

Hujus asserti rationem depromit Riberà ex verbis S. Thomæ (2. 2. qu. 2, art. 5 corp.) : « Quantum ad prima credibilia quæ sunt articuli fidei (in symbolo) tenetur homo explicite credere, sicut et tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia credibilia (scilicet quod Abraham habuit duos filios, aut quod David fuit filius Isai) non tenetur homo

explicitè credere, sed *solum implicitè* vel in preparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid divina Scriptura continet; sed tunc solum tenetur hujusmodi explicitè credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri. » Sic credunt rustici inter catholicos. Inter Lutheranos autem, quos ubicumque in controversis nobiscum dogmatibus vidi semper a suis catechistis instructos, prævenit idem S. Doctor (ibid. art. 6 ad 2.), quomodo credituri essent rusticissimi: « Simplices, ait, non sunt examinandi de subtilitatibus fidei, nisi quando habetur suspicio, quod sint ab hæreticis depravati; qui in his quæ ad fidem pertinent, solent fidem simplicium depravare. Si tamen inveniuntur non pertinaciter perversæ doctrinæ adhærere, si in talibus ex simplicitate deficiant, non eis imputatur. » Ex quibus, si rusticos e Lutheranis examinaturus essem, quod a catechistis *depravati* sint non suspicarer, sed scio: num essent *pertinaces* unice observarem; sicque et Latinis et Græcis consulerem. »

Echo fid. part. pag. 34.

Et alibi (qu. LXXI, § 3, pag. 578): « Neque ego Græcos et Ruthenos rusticos et indoctos ob errorem (sibi materiale) dicam damnandos; quorum charitatem Deum non despiciere, sed miraculis sibi gratam testari, recentissime ostendi in meo Res-

ponso Antapologetico. (Vid. App. XI) : invincibiliter quippe ignorant plures veram Ecclesiam quæ veritatem proponit, cum ab ipsarum prælatis male circa hanc instruuntur. Malitiose peccantes Deus corrigat; circa ignorantes in hoc fidei mysterio (agit Ribera de processione Spiritus S.), vide supradicta, ubi S. Thomam adduximus, iudicium ferentem de simplicibus inter hæreticos. »

APPENDIX XI (ad pag. 84).

En quæ circa factum illud leguntur in *Responso Antapologetico*, loco citato :

« Ut noscant Lutherani, ait Ribera, quam vane ad renovandam iconomachiam in Græcia desudent et plus in Russia, ubi (Deo gratias) Turcas adjutores non habent sicut in Græcia, pro rejiciendis iconibus : narrabo (permittatur tandem) mirificum Dei opus, media B. Virgine in imagine culta et invocata : quo patebit, plusquam Lutherani destruant scriptis, Deum Ecclesiam ædificare miraculis.

Devenerat anno currentis sæculi decimotertio ad maximum monasterium SS. Trinitatis (vulgo Troitzæ) sexaginta milliaribus (ruthenice *verst*) ver-

sus septentrionem a Moscua dissitum, septennis puer miserrimus, Cosmas nomine, brachiis retrorsum inflexis, manibus ad os sacrum junctis, digitis utriusque invicem complicatis, ita ut nec per vim sine fractione disjungi possent. Recepit eum religiosa monachorum charitas, ut in (*Bolnítza*) infirmorum loco, cum ægrotis cæteris aleretur. Didicit hic in adolescentia legere, decursuque temporis idoneus receptus est ad numerum lectorum Ecclesiæ. Fuerat circa infirmariam, jam ab antiquo, locata imago B. Virginis ad lapidem incisa, nomineque Smolenscensis imaginis venerata; quam pridem monachus quidam exterius occluserat, ut populum a concursu ad Ecclesiam diverteret. Crevit juvenis cum ætate devotio, qua Beatissimæ Virginis patrocinio sanandum se credens, occludi imaginem illam, cui salutandæ inclinabatur, ægre ferebat. Illi tamen continuo preces fundere non destitit, optans propriis manibus destruere quod aliis miserat. Post annos 17, quibus ab omnibus notus impedimento manuum laboraverat (mense Julio decurrentis anni), dum (icosi scilicet acathistos) laudes B. Virginis secundum alphabetum græcum in ecclesia caneret, sibi visum est audire vocem dicentem : « Eia, Cosma, preces tuæ exauditæ sunt, ut curationis recipias gratiam; » cumque ex hoc aliquid sentiret in digitis, advocavit adstantes, qui-

bus quid audisset et sentiret retulit. Videntibus igitur cunctis, cœperunt digiti disjungi; inde brachium sinistrum in naturalem situm et motum veniens poterat solitum signum crucis a capite ad pectus et humeros formare. Sed ut sensibilibus videretur manus Domini, mansit adhuc per plures dies Cosmæ immobilis dextera. Paulatim, ut vulgaretur amplius, hæc quoque usui restituitur, ita ut cuncti qui eum inhabilem ad hoc noverant, ambidextrum ad solute formandæ crucis signa jam videant.

Opus esse illius qui in mundo conversatus (Matth. XII, 10, 23) extendi jussit hominis manum aridam, (Joan. X), fatemur cum sanato hoc viro cuncti. Sed ipse qui facultatem piscinæ probaticæ contulerat Hierosolymis ut multitudini claudorum, cæcorum et aridorum, mota per angelum aqua, succurreret, ligatas manus non habet, ut intercedente nunc angelorum regina, miseris æque subveniat. Et sicut illi qui claudum ex utero matris in speciosa porta templi annis pluribus viderant, sanatum tamen per Petrum, in Jesu Christi nomine, mirabantur; ita cum illo Cosmas hic laudans Deum nos invitat, ut nedum intendamus in Petrum, sed et in Beatissimam Apostolorum reginam, quæ virtute præsens et in imaginibus culta Dei movet misericordiam, de ejus beneficiis gratulemur. Nec non valde notandum,

quod simul ac opus apologistæ contra imagines evulgatum est Moscuæ, miraculo isto potius quam humanis calamis Deus illud everterit » (*Resp. Antapolog.* ed. Viennensis, an. 1731, pag. 166).

APPENDIX XII (ad pag. 91).

Addamus quædam de jejunio Sabbati, de quo ait Confessio : « *Sabbato* (et Dominica) *non item* (jejunetur), vetante hoc canone 65 apostolorum. Apocryphos putari eos 85 canones, nomine S. Clementis vulgatos veluti apostolicos, communiter judicatur a doctis omnis ævi. Unde eos aut constitutiones a S. Clemente editas, quibus nomen apostolicarum, id est quas ab illis acceperit, imposuerit, nec credere oportet ; contra eos siquidem non scriberet S. Justinus Martyr sæculo II, sabbati celebrationem esse Christi passione extinctam ; si impracticabile jejunium eam festivam faceret, sicut dominicam. S. Cyprianus sæculo III pro nullitate baptismi ab hæreticis collati canones 46 et 47 non reticisset. S. Augustinus contra can. 62 non licitum diceret suffocatum, aut contra 65 jejunium sabbati. Tamen cum videamus Zephirinum papam

admittere sexaginta ex illis canonibus (ep. 1, ad episc. Siciliae); Leonem IX recipere 50 (contra ep. Niceti abbat.), et synodum Trullanam (de qua postea) approbasse integros 85, nonnihil reverentiae (ne dicam auctoritatis) illis praestandum est; nec negandum, *plures* eorum (*omnium* plene ignota origine) praxim regulasse primitivae Ecclesiae, taliterque absurdum visum fuisse jejunium sabbati inter orientales, ut Ignatius Martyr *interfectorem Christi* appellaverit jejunantem in sabbato (ep. ad Philadelph.).

, Similiter, ex primorum saeculorum jam usu, legimus jejunium sabbati in Ecclesiam introductum et a viris sanctissimis approbatum, imo tanquam traditionem apostolicam veneratum.

Videamus quid circa sabbatum leges stabiliant, quidque diversa praxis suadeat, ut quislibet more suae ecclesiae servato, obsequium praestet Deo. Leges ecclesiasticas ex motivo temporali stabilitas cessare, ubi eorum finis cessat, nullus est qui dubitet; quare infiniti canones, pluresque leges apostolicae (immo et Christi) in usu non sunt; v. g., lex de correctione fraterna privata, tradita per Christum (Math. XVIII, 15) cessat, ubi nulla spes adest *fratrem lucrandi*, quod erat evangelicae legis finis. Dato igitur, Apostolos festivum sabbatum praescrisse, ad sciendum quos et quantum temporis (illud) obligaverit, debet finis attendi.

Puderet diversis motivis assentiri quæ Margunius Græcus erronee finxit; qui primo dicit : ne conveniatur cum Colluthianis et Apollinarianis. jejunantibus sabbato in suffragium decessorum fratrum, quia putant sic liberari a pœnis, ut vocamus Latini, purgatorii; qui jejunio sabbati illorum hæresim renovaverimus.

Contra quæ sufficiat notare, Colluthum et Apollinarem vixisse sæculo quarto; unde hæreticos post tria futuros sæcula non creditur movisse Apostolos eorumque coævus ad legem de non jejunando sabbato.

Nec minus indocte scriptum putari debet secundum motivum quod Margunius idem addit dicens : *ea die surrexit Christus, sero nimirum, dicente Evangelista : vespere sabbatorum...* Certissime, si aliis sabbatis ob Christi Resurrectionem non jejunarent (Orientales), improprie ipso quo surrexerit abstinerent. Quam bene autem Rutheni cum Græcis circa hoc sentiunt, manifestat ritus moestitiæ et luctus continuati per totum sabbatum; cujus post mediam noctem sacræ cæremoniæ Resurrectionis Dominicæ persolvendæ ad Ecclesiam concurrunt, atque eam solemnissime complent; quam Latini, sabbato ipso, noctem sequentem memorantes, præveniunt.

Neque tacendum hic judico sacrum Ruthenorum morem benedicendi ova eaque distribuendi in Ecclesia per celebrantem, finita matutinali liturgia in die S. Paschæ, primum comministrantibus, deinde populo: salutato juxta morem unoquoque, et osculato a celebrante. Cui dicenti: *Christos woschres* (id est, Christus resurrexit) quisque respondet: *wo istinu woschres* (id est, vere resurrexit). Unde per totam festivam hebdomadam mos idem communis civiliter producitur; ut quivis ova (ubique tunc venalia, ornatissimaque raris depictis hieroglyphicis) deferens, imperantes ipsos, si occurrant, etiam feminas, plebejus etsi deosculetur, præsentans ovum supradictaque verba proferens, vicissimque osculum et ovum cum responso recipiat. Et hæc est generalis hujus hebdomadæ salus...

Echo fid. part. 11, p. 126.

Jam ad Trullanos canones, quibus recentiores Græci plus fidunt, accedamus. Hos, nomine Quiniseptuagesimæ synodi passim allatos, ad legem non sufficere probatum est supra (circa qu. LXXXIV, part. 1, in exam. concilior.). Sed tamen, ob ejus can. LV, ubi de novo Græci ausi sunt leges Ecclesiæ Romanæ præscribere, inferendum volo a Græcis ipsis hodiernis, imo Ruthenis, quod vim legis vel non habuerint vel perdiderint. Dicit canon: « Quoniam intelleximus in Romanorum civitate in sanctis qua-

dragesimæ diebus, in ejus sabbatis, jejunare præter Ecclesiæ traditam consuetudinem, sanctæ synodo visum est, ut in Romanorum Ecclesia canon inconcusse obtineat, qui dicit : *si quis clericus inventus fuerit in sancto dominico vel sabbato jejunans, præter unum et solum, deponatur; si autem laicus, segregetur* : alludens ad can. 65 apost., de quo supra satis. — Nullum ex Latinis vel Romanæ Sedis legatum præsentem in Trullo, sicut in aliis conciliis, fuisse, jam diximus; licet post imperatorem Justinianum legatur subscriptus : *Sanctissimus papa Romanus*. Quem, scilicet Sergium I (licet alius tunc pro Sergio I. Constantinopoli apocrisiarius subscripsisset, sicuti refert Platina), Justiniano synodum roborandam desideranti sedulo reluctatum fuisse, ab istoque ideo in exilium missum, retulimus et nos supra (1). Nec credendum est Græco Balsamoni, si alium dicat legatum Cretensem archiepiscopum, vel, ut alii voluerunt, archiep. Ravenatensem : quia contrarium demonstravit alius Græcus Bessarion (2), et ex illo Baronius (3); imo contradicentem Sergium I, ut supra dixi, iram Justiniani incurrisse testatur coævus scriptor Beda (4), et

(1) Circa quæst. 84, § 4. Quinisexta syn. n. 2.

(2) Ep. 4, ad Philanthropinum (Alexium Lascarin).

(3) Ad an. 692.

(4) Lib. de sex ætat. in Justiniano min.

proximus Paulus diaconus, vel Longobardus alio nomine (1); unde nec universam repræsentasse Ecclesiam, nec leges toti orbi potuisse præscribere, fatebuntur omnes.

Itaque percurramus ex Trullanis canones aliquos, qui nullo modo servantur nunc a Græcis et Ruthenis.

Canon 2 præcipit, in fine, servari canonem emissam a Cypriano, in Africa, ejusque synodo; hunc autem decrevisse, rebaptizandos esse omnes ab hæreticis baptizatos; quod ab omnibus rejectum est ut erroneum; neque id ignorant Græci aut Rutheni.

Canon 46 jubet: « Monachas omnes, ne omnino extra monasterium progredi; si quæ autem *ineworabilis necessitas* ad hoc trahit, cum benedictione ejus quæ præest, hoc agant; tuncque, non solum per se, sed *cum aliquibus vetulis, etc.* » Cordatissimum certe mandatum, quod Latini Quini-Sextam Synodum non recipientes servamus; in Russia sicut ordinarium est videre monachas solas in magna copia et ubicumque, ita extraordinarium esset ipsas mutuo associari. Nec dubito Latinos cavisse (forsan expertam) fragilitatem fœmineam. An igitur impeccabiles viderint postea Rutheni eorum pau-

(1) De reb. Longob., lib. 6, c. 11.

perrimas monachas, ut canon iste non obliget, ipsi dicant.

Canon 59 ait : *In oratorio privato, quod domi est, nullatenus baptismus peragatur. Si quis contrafecerit, si clericus est, deponatur; si laicus, communione privetur*; etiamsi canone 31 clericos de licentia Episcopi loci id facere permittatur. Nec solos dicam laicos contra hoc agere, quos tantum in necessitate gravissima, qua nec haberi sacerdos, nec expectari potest, baptizare licite certum est. Vidisse me insuper addam ita ordinarium baptismum in domibus, ut non crediderim semper ad hoc consuli episcopum.

Sufficit frigus regionis illius ad derogandum canonem emanatum a Constantinopolitana temperie; ne scilicet tenelli pueruli denudandi, cruditati aeris in ecclesia exponantur cum vitæ periculo: ipsumque clima sat dispensat ibidem latinos catholicos a lege nostra Clementina (de baptismo), prohibente solemniter (præterquam regum ac principum) in privatis cameris extra ecclesiam fieri. Qua lege non obstante, ex more introducto, etsi in æstate, ego ipse, Moscuaë moratus anno 1728, ministravi baptismum cuidam puerulaë ex matre catholica (calvinista licet patre) natæ, præsentè aula imperiali tota, in ipso jacentis matris cubiculo; quam Magna Ducissa Moscoviæ Natalia, serenissima imperato-

ris quondam soror, cum Excellentissimó Dómino legato Hispaniæ Duce de Liria, etc. levarerunt e sacro fonte.

Canon 67, jubet ex sacra Scriptura abstineri a sanguine et suffocato, damnans eos qui *cujuscumque animalis sanguinem arte aliqua condiunt et sic comedunt*; deponens contravenientes clericos et excommunicans laicos. Nullibi tamen quam in Russia vidi plus suffocatis animalibus uti, ut nec unus sit, qui hoc putet lege vetari. Fateri tenemur hanc legem christianam fuisse (1), imposito onere necessario *abstinendi ab immolatis simulacrorum, a sanguine et suffocato*, etc., quidquid garrularit Calvinus nullum unquam cibum fuisse vetitum; non capiens, potuisse Paulum (1. Cor. X, 25) Corinthiis dicere: *omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*, ne aliquid ex natura vel lege antiqua pollutum, et malum, cum quibusdam tunc hæreticis dubitarent. Sed lex illa (Act. XV) expresse tradita legitur *his qui sunt Antiochiæ et Syriæ et Ciliciæ fratribus ex gentibus* (ibid. v. 23) determinate; minime vero pro omnibus; forsan ad pacificandos christianos, ubi plures erant mixti ex Gentilibus et Judæis; solitis his (ex Levit. VII,

(1) Act. XV, 26, 29.

26, XIX, 26.) ad sanguinis abstinenciam, illis vero deterrendis ab immolatis simulacrorum. Usu receptam postea legem illam in Oriente toto et Occidentis parte tradunt auctores. Pro Oriente testis est tum Concilium Gangrense (can. 2), tum *Canones Trullani*, tum constitutio imperialis Leonis VI, sæculo IX (Const. nov. 58); et sæculo X Synodus Constantinopolitana, per Constantinum Porphyrogenitum civiliter necnon roborata, ut refert Dositheus monachus (Collect. can. ad Trull. 67). Pro Latinis Tertullianus (in Apologet. c. 9) sæculo II et alii. Nec ita perdurasse generaliter apud Latinos, ut contendit Comnenus (Prænot. 3, sect. 2, n° 3), usque ad sæcul. XI, convincit dessuetudo adducta ab Augustino sæculo V; vel in fine quarti (lib. 32 contra Faustum) dicente: *quis jam hoc christianus observat, ut vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu in cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est?* quidquid ex can. 20 Concilii Aurelianensis 2, et ex Gregorio III idem Comnenus effinxerit. Satis fuerat ut diuturnior praxis Græcorum sanguinis et suffocati abstinenciam inter Ruthenos introduxerit, cum adhuc sæculo XIII scripserit Georgius Metochita Græcus (Orat. 1. contra susurrones, in fine): « Bonum, juxta consuetudinem, et

gustare et abstinere se a sanguine et suffocato; nam consuetudo et legem roborat ægram et vigentem debilitat. Non igitur reprehendendam, si Latini non abstinent ab his, sive etiam Ægyptii et Phœnices: superavit enim penes ipsos consuetudo legem. Reprehendendam fortassis in nobis, ni abstineamus nos hisce, quæ vetita nobis sunt, etc. » Tamen in Ræssia canon iste in omnium dessuetudinem abiit; sicut, teste Gerasimo Monacho Græco (ad. can. 67, Trull.), a quatuor jam sæculis in tota Græcia.

Canon 72 statuit: « non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, aut e contra, copulari; sed si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, *irritas nuptias* existimari, et *nefarium conjugium* dissolvi. » Quis ergo non videt, et istum cessasse? cum (ne loquamur de infimis) ex tota familia imperiali fœminas cum lutheranis principibus contigit jam nupsisse, tota consentiente Ræssiæ Aula, et nil contradicente ecclesia. Vidimusque Annam, filiam Petri Magni, nuptam Duci Holsatiæ, curasse baptizari filium superstitem, a ministro et in ritu rutheno; sed Catharina, imperantis hodie soror, ex Duce Mecklemburgico filiam Mecklemburgigenitam, ritu et a ministro lutherano baptizari permisisse. Baptismus certe ab unoquoque validus; sed verendum est, ne sequuta educatio fines

temporales successionum in regnis et statibus plus quam veram religionem respiciat, sicut pluries fieri videmus in Anglia et Germania. Nec dubito (sicut inter Latinos) tolerari, cauto subversionis periculo : ntinam ab omnibus tractaretur, prolem totam hæresi nec inficiendam esse; qua deficiente conditione nuptias catholici non dicam nullas et irritas, sed asseram illicitas et *scandalosas* (Vid. Wigand. tract. 16, exam. 6, num. 77, p. 725 et omnes auctores cathol.), quæ fructum quæerunt alienandum a Deo.

Canon 96 longam contra calamitaturam criminum, excommunicatione minata, tradit censuram, decernens, ut « qui capillos, in perniciem intuentium, excogitata quadam implicatione digerunt, intenteque ornant, velut quasdam escas infirmis animabus proponentes : ipsos pædagogi instruant, ut cum reliquerint *deceptionem hanc et ineptias*, ad perpetuam et beatam vitam assidue mentem convertant; ut *nullas secum reliquias ferant adversæ stoliditatis.*» Contra canonem hunc, non populus Ruthenus, plus intortos crines ostentans ex incuria quam ex arte, sed plures ex nobilibus (incorrectam) hanc *deceptionem, ineptiam et stoliditatem* didicerunt : ex quo e Gallia crispisulcandis capitibus, etiam pro Russia, non defuere magistri. Utinam canones 49 et 78 plus essent in usu : illo decernente quod episcopi, et « hi

qui præsunt ecclesiis, omnibus diebus, sed præcipue dominicis, omnem clerum et populum doceant pietatis ac rectæ religionis eloquia, ex sacra Scriptura et Sanctorum Patrum doctrina; isto, jubente eos qui illuminantur (id est fideles) fidem addiscere, et quinta septimanæ feria episcopo vel præbyteris (seu catechistis) renuntiare. Sic liberaretur populus ruthenus a lacrymabili ignorantia. Noscant igitur pii Græci et Rutheni, et experti fateantur in seipsis, cessante fine, leges et sacros quos dicunt canones derogatos.

Igitur (nec in his tantum) Trullanis canonibus evacuatum in Græcia jus fuit; sed et omissum jejuniū sabbati, juxta laudabilem Græcorum præxim, quando ordinationes fiebant die dominica. Audiatur patriarcha Constantinopolitanus Tarasius, ep. ad *Hadrianum* 1, die 29 dec. anno 784 vel 786 (habetur inter opera Theodori Studitæ): « Et hæc quidem, (scilicet quod ex laïco factus esset episcopus) quamvis contra canones, venia sunt digna, quod acta sint clamore populi, vi principum, senatus hortatu, cleri totius suffragio. Cætera vero juxta canones recte disposita, cum et *sabbato* ipso celebratum jejuniū fuerit, ut ordines sacros acciperem, Domini et servatoris nostri sacro natalibus die. » Unde Veccus patriarcha quoque (orat. 1 de inaugur.) ait: « quod si die dominica manus imponendæ erunt ob

necessitatem quampiam, fas est, sabbato usurpare jejunia; non enim legi necessitas subest: præsertim cum lex temporaria neque continuam, neque semper inferat necessitatem;» quibus et mores laudabiles profert, et veram rationem cessandi leges ex fine, doctissime adducit.

Constat igitur, morem non jejunandi in sabbato a Græcis retentum; ab ipsis aliquoties interruptum fuisse; a Latinis non ubique acceptatum: pluribusque servatum non diutius; laudando semper more ecclesiarum, sicut faciebat suo tempore S. Augustinus (epist. 86 ad Casulan.); qui approbans non jejunandi morem in Africa retentum (ob Manichæorum, quam antea habuerat sectam, ut dixi), tanquam rationi et ecclesiæ usibus consentaneum, morem quoque jejunandi Romæ (cum Ambrosio) non reprobat, jubetque ut quisque morem suæ provinciæ custodiat. Sic faciebant SS. Patres antiqui in Græcia, audientes etsi, jejunari Romæ et aliis in locis, ut dictum est. Quid Patres Trullanos moverit (primos), non faciliter dicam: quos, adhuc sibi concesso zelo, in taxandis Romanis legimus indiscretos. Consequentes Græcos post illos, Trullana decreta Romanis non objecisse, veluti auctoritate carentia, constat ex adducto Tarasio, integro fere sæculo post Trullanam synodum patriarcha. Tantum post duo sæcula, quando pars major Græciæ Photio

(etiam secundo post synodum Cpolitana[m] IV illum deponentem in patriarchatum introducto) adhæsit, auditæ sunt voces, et lecta contra jejunantes Latinos Græcorum scripta : quæ ex schismate teterrimo quo dividimur orta, inter doctos nullius habentur momenti. Ruthenos doctos in hoc nos damnantes non audiui, imo praxim Ecclesiæ cujusvis asserentes sequendam : si indoctos quondam nobis insultantes audisse contingat, parcatur illis quod indiscrete etiam id receperint a Photianis. Laudemurque invicem, si morem ecclesiarum servemus : Græci antiquissimam traditionem, non abstinendo, colentes ; Latini epulas Judæorum festivas vitantes, Christum in sepulcro clausum memorantes, mœstissimam B. Mariæ Virginis, Apostolorum cæterorumque mortuam Christum plangentium imitantes, et ad festum Resurrectionis Dominicæ nos præparantes : quæ, aliaque motiva conjecit Bellarminus (t. IV, Controv. ult. de bon. oper. l. 2, c. 18). Nec inficianda plerumque Hispanorum devotio, qui sabbato, in honorem sanctissimæ Deiparæ, jejunium unice esuriali comestione persolvunt.

Idemque applicandum jejuniis reliquis. Standum est ecclesiarum etiam particularium praxi, sicut bene advertit *Confessio* (infr. parte III, quæst. 8), distinguens *commune* jejunium totius, et *proprium* particularis Ecclesiæ vel personæ, nedum in ab-

stinendo, sed etiam in modo (abstinendi). Die dominica tantum jejunare, directe contra consuetudinem populi christiani, esse peccatum, advertit S. Thomas (2. 2 qu. 147, art. 5, ad. 3); alias semper esse laudandum jejunium, scripsit S. Hieronymus (Ep. 28 ad Lucinium) : *utinam omni tempore jejunare possimus*; censuereque idem Græci, ut Prodrômus senior (de interpr. ad. can. 54 apost.), Tarasius (Epist. ad Marcum solitar.), Nicephorus (Regula 84), et alii adhuc recentiores (in jure Græco-Rom.) (1). Cum ergo *Confessio* quæstione 38 præcipit, *ne statis diebus abstinemus, scilicet a Natali D. ad Epiphaniam, duabus Paschæ et Pentecostes hebdomadis, ante septuagesimam et post sexagesimam*; intelligenda est, dato aliis scandalo; quo deficiente, meritorium omni tempore docetur ab orthodoxis jejunium, sine discrimine inter pios Latinos aut Græcos. Inter modos abstinendi sequendus est ubique patrius, ubi residemus, ab Ecclesia receptus : sic in Hispaniæ parte, scilicet Castellæ utriusque regnis, licite vescuntur fideles carnum minutiis, in sabbatis non quadragesimalibus; Majoricensis seu Baleares insulani, omni carne; in Galliæ et Belgii nonnullis Ecclesiis, idem a Natali Domini ad Purificationem B. M. V. Ubi butyrum est conditu-

(1) Tom. 1, lib. 3, Sent. Synod. I, decreto 9, Lucæ Chrysobergæ patriarchæ, pag. 224.

ra ordinaria, licite retinetur in quadragesima. Ubi-
cumque tandem est consuetudo approbata vel tole-
rata publice, vigeat, usquedum per Ecclesiam aliud
statuatur. » (*Echo fidei*, part. II, pag. 128-134.)

APPENDIX XIII (ad pag. 95).

DE FIDELITATIS CHIROGRAPHO APOSITO SEPELIENDIS RUTHENIS.

« Ad deponendam, ita ut defuncti manu conti-
neatur, chartam, quam diximus professæ fidei a
defuncto religionisque chirographum, non indu-
cuntur Rutheni ex ritu generali Græcæ Ecclesiæ.
Laudabilissime mos iste innovatus in Russia cum
introducenda communiter fide, hac stabilita, fuit pie
retentus; qui, sicut vidi pluries, nec pro pauperri-
mis defunctis omittitur, nec, siquidem in principe
factum adverti, pro magnatibus prætermittitur.
Tanta inolescunt Lutherani plures contra hanc cæ-
remoniam audacia; tanta, horum mox vulganda
fraude, sparsa est per Europam facti ignorantia; ut
e remotiori Italia, quo facilius res Germaniæ deve-
niunt, quam ex Russia, vix non credens detractio-
ni, me Moscua tunc degentem, quem ab ingenuitate et
veritate non recessurum noverat triennio antea
Florentia, serio per litteras mense januario 1729

consulendum elegerit, suo aliorumque nomine, eruditissimus et Rever. admodum P. M. Fr. Salvator Ascanio, confrater in Prædicat. Ordine et Hispaniæ minister apud Magnum Ducem Etruriæ. Huic satisfactorius nedum originale chirographum typis slavonice exaratum, latine a pluribus inter se insciis, me describente versum remisi, apud me quoque inveniendum; sed et radicem ritus hujus piissimi investigavi, deceptoresque ac horum motiva ad detrahendum Ruthenis matura inquisitione detexi. Falsa oportet primum rejicere, dum conamur vera stabilire.

..... Suecos notavi auctores referendæ falsitatis quotquot fere vidi: eosque contumeliis irridendisque sibi imputatis fabulis eligunt insipientes ostendere, quos nec armorum vi valent subigere, nec lutherana charitate pervertere

Incepit Petrus Petrejus, Gustavi Adolphi orator ad aulam Moscoviæ, in sua *Sciographia*, quam inter pleraque confarcinata mendacia hoc novo replet (lib. 6, p. 18): *Moscovitas* mortuis tradere *epistolam* quam *salvi conductus* vocat, formulario quod fingit infra tradendo. Id repetit Adamus Olearius, Frederici Holsatiæ Ducis bibliothecarius. Num is Suecus fuerit nescio; devinctum scio Suecis cum principe qui filiam *Hedwigem* Suecis reginam dederat, unde Holsatiæ et Sueciæ jura putabantur com-

munia. Hic Sæcis blanditurus (lib. 3, Itiner. pers. cap. 84) fabulam Petrejo commendax recoxit. In consilium idem impiorum abiit Joannes Schwabe, Revalia Livonus (Dissert. theolog. de relig. et rit. eccles. Moscov. cap. 24, n. error. 7), qui mendaciorum approbator scripsit (in proœmio), tantam esse Olearii fidem, ut hanc qui in dubium vocarit, viderit neminem. Nec me inde exclusit, qui indubitanter ostendam eum falsarium; hincque fidem Schwabii deducam, qui solius Olearii sibi asserit sufficere testimonium.

Nec minoris sceleris reus, additur falsariis novissime Gudmundus Krook, Suecus pariter, in supradicta exercitatione Upsaliæ in auditorio Gustaviano majori proposita (1). Hic Petrejî et Olearii psittacus litteras appositas Ruthenis sepeliendis ita refictas recitat: « Nos (N.), episcopus et sacerdos hujus loci (N.), confitemur et testamur his præsentem (N.) apud nos, prout verum christianum græcum decet, vixisse et licet interdum peccaverit, tamen peccata confessum absolutionem et sacram cœnam in remissionem peccatorum suorum accepisse; Deum et sanctos ipsius honorasse, jejunasse et orasse ex præscripto. Mecum (N.), patre ejus spirituali, ita vixisse,

(1) De statu eccles. et religionis Moscov., part. 1, sect. 2, cap. 31, § 8, pag. 257. Edit. Lubecæ 1709.

ut ipsi omnia ipsius peccata remiserim (fictionem terminat delirio). Quapropter nos ipsi has salvi conductus litteras dedimus, sancto Petro et aliis sanctis monstrandas, ut absque impedimento per januam paradisi intromittatur. » Si hæc lutheranæ stoliditatis figmenta vetularum suarum mollia penetrassent cerebella, si tantum exteros a Suecia ejusdem, lutheranæ simulationis edocuerit simios, nil mirandum ducerem; sed irridendum æque proponerem Michaellem Oppenbusch qui ex Amstelodamo Argentorati palæstram lusus exercuit anno 1667. Religionem moscoviticam denigraturus (cap. 2, p. 25), velut hædus post hædos saliens, litteras e gothico partas belga penna transscribens. Id unum doleo, non defuisse incautos, in Romana Ecclesia perstantes a Romana modestia devios, qui, quasi in Lutheranorum historiolis evangelium legerint, ne his in detrahendo cedant, cum eis maledicentibus maledicunt, dum eorum deliramenta repastinant.

Hos inter adnumero Augustinum de Meiersberg, legatum Leopoldi Cæsaris anno 1661, qui *Itinerarium in Moscoviam* relaturus, ex scriptoribus sibi similibus, a Tartaris forsitan sibi narrantibus, ex somniis sibi etiam evigili objectis, innumeras in Moscovitas collegit injurias. Hunc exiliandum vellem e catholicarum bibliothecis, qui mille nec sufferenda mendacia paucis vix inveniendis mis-

cuit veris. Unde justum hunc sibi scribenti præfixit titulum : *liber baro* ; quem, si inter deos *Liber*, liberum eum in mentiendo fecit : *bardum* se sciat catholicus, qui ei fidem præstiterit. E gallico in italicum idioma eum translatum, Neapoli 1697 typis datum lego (pag. 179), recoctam litterarum emortualium Moscovitarum suecicam fabulam, hac usura credulis revendentem : quod *eas manu publici notarii urbis, soluto ad hoc aureo ducato subscriptas*, apponant defuncto, quodque ad *S. Petrum deferendas* pro ingressu in cœlum dicant. Ecquot pauperum, quorum nullibi ac in Moscovia tanta copia, remanent insepulta cadavera, si ducato aureo emenda esset chartæ subscriptio ? Hanc perfecisse vidi semper parochum aut alium exequiarum officium persolventem, pro qua, ultra minutissimum nummum solvendum typographo, nil præter sepulchralem eleemosynam dari (imo a pluribus nil dari posse) credo, subscripturo litteras parochi.

Detecto ac profugando mendacio, ostendetur rutheni ritus in charta hac tradita mortuis pietas ; præfixa contentorum in ea latina translatione, quam, nec verbo addito aut detracto, originali slavonicæ correspondere, per ipsius veritatis auctorem quantum possum attestor ; tribus nil discrepantibus ac inter se insciis translatoribus usus ;

quorum veritati ei qui a me non credat comperien-
dæ, ordinariam chartam slavonicis typis datam
translatorumque scriptas conservo.

Scriptum chirographum ita sonat.

: Fronti prius, circumcinctura caput apponitur
quasi sesquidigito lata chartæ fasciola ita descripta:

« Sancte Deus † sancte fortis † sancte immorta-
lis † miserere nobis. » —

Folium dein extensum chartæ ex una parte
typos exprimens, duplicem orationem sequentibus
titulis et forma exhibens :

ORATIO, SPES † ET CERTIFICATIO
CHRISTIANÆ ANIMÆ IN FIDE.

« In tali spe quislibet orthodoxus christianus homo
vivens ac legens hoc, fit de ipso certus, quod ei
qui vitam suam finivit, in tumulo jam constituto
utilissimum est ut hæc charta manibus apponatur.

« Universi Conditor et Omnipotens Deus Pater,
Deus Fili, Deus Spiritus Sancte, Trinus in personis,
Unus in Deitate, substantia et essentia, ab omni
creatura qui perpetuo glorificaris: Tua benevolen-
tia ac præscientia atque immensa clementia tua,
inenarrabili tua sapientia, in mundi hujus terre-
stris et visibilis existentia factus et creatus sum
ego, famulus tuus (N... defuncti nomen), ut Te Domi-
num meum glorificarem et extollerem nomen tuum

sanctam, ac grates persolverem pro misericordia tua, modisque virtutum omnium satagerem æternum tuum hæreditare regnum. Ego autem peccavi coram te, o Divina Trinitas, tuam bonitatem offendi, transgressusque sum mandata tua, hac in vita mea: imaginem tuam et similitudinem, in me quæ fuere, non servavi uti oportet, sed contaminavi animam corpusque meum omnibus iniquitatibus, ac abominandis meis operibus indignationem tuam adversum me excitavi. Etsi ergo, Domine mi, ad mundanas vanitates inclinatum est cor meum, veramtamen non abnegavi Te creatorem meum, vitam, solatium, salutem et spem meam. Jamque in præsentī, finem vitæ meæ, Te Domino potentissimo decernente, suscipio; separatur anima mea fragili meo a corpore in immortalitatem æternam; quæ cum corpore eodem resurrectura mandato tuo est, cum Tibi placuerit. Itaque et secundum veram nostræ religionis fidem, per tuas miserationes et misericordiam, quod pro nobis passus es, salutem consequi confido. Secundum vero peccata mea adversus Te commissa valde paveo ne cruciatus recipiam. Idcirco oro Te, immortalem Regem et Deum meum, in postremo agone vitæ meæ, dimitte cuncta peccata mea, quæ a juventute hucusque commisi, quoniam Deus meus Tu es et Creator; credo enim in Te et in Te confido; omnifariam salvum me fac, Domine, dignumque ut

participem regnum tuum coeleste : nam propter nos homines factus es homo, Jesu Christe, ut nos ab affectionibus corporis ac peccatis liberares. Gratia quoque tua nati sumus et educati in orthodoxa christiana fide et unanimitate sanctæ orientalis Ecclesiæ, ac juxta sanctam symbolum omnia confiteor et teneo. Oro itaque, ut fidem christianam operum meorum loco imputes, Domine. Rursus a tota sancta Ecclesia et ab omnibus orthodoxis christianis in terra superstitibus, quomodocumque aliquem offenderim, verbo aut facto, orationes, veniam ac remissionem debitorum meorum ex corde deprecor. Atque cum hac mea fide, intercedente Beatissima semper Virgine Deipara Maria et omnibus Deo placentibus Sanctis, perque orationes Ecclesiæ, ad Te Deus indubitanter pergo. Idcirco, in separatione animæ a corpore, in manus tuas suscipe, Domine, spiritum meum, et secundum misericordiam tuam in evangelicam beatitudinem vivifica me in æternum. Amen, Amen, Amen. » Anno. (N.) *sepultus hic.*

(In margine rubro colore advertitur : *Qui id (moribundus) seipso leget, vel alium pro se legere jussert, nomen suum, sexum, ætatem et gradum inscribet.*) — Sequitur

*Oratio absolutoria et valedictoria, absoluto
juxta ritum super defunctum officio.*

(Legitur ab archipræsule vel sacerdote).

« Deus, optimus Creator noster, qui dignatus es me hoc sacro munere distinguere gratia Spiritus tui sancti, ut minister essem novi Testamenti sacramentorum tuorum, in salutem et spem æternæ in cœlis vitæ fidelium hominum tuorum, ecce servus tuus (N), Te Domino ordinante, obiit. Quæ itaque in vita sua tanquam homo peccavit, a juventute sua usque ad separationem animæ et corporis ejus, dicto vel facto, sciens vel ignorans, voluntarie ac involuntarie, cogitationibus pravis et impuris, animæ et corporis sui sensibus, sive cuidam anathemati ignoranter subjacuit, aut oblitus est cujusdam peccati, aut non potuit patri spirituali confiteri, aut qualitercunque ligatus fuerit, da ei veniam et ab omni absolve, Domine hominum amator, juxta misericordias tuas. Ecce sacri ministri tui et orthodoxi homines, sanguine juncti, cognati et noti, traducentes huc corpus et adstantes ejus tumulo, veniam peccatorum et requiem animæ hujus deprecantur.... Itaque et ego indignus (N. ministri nomen), potestate a te mihi commissa ad absolendum veniamque dandam, filium hunc (defuncti nomen) qui in spiritu Ecclesiæ poenitentiam peregit, ab-

solvo ab omnibus peccatis ejus. Tu autem, Domine rex omnium, dignam fac animam nunc defuncti (N.) ut assequatur regnum tuum cœleste ac corpori huic iterum conjungens, eam in æternum tuum gaudium introduc, evangelica benedictionis voce, clementia tua, et precibus Beatissimæ Dominæ Nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ et Omnium Sanctorum. Amen. Amen. Amen. »

(In margine iterum rubrica : *Si archipræsul legerit, nomen suum etiam extra superscriptum apponat.*)

Aliter dispositum et brevius chirographum traditur pueris, absolutionem, qua non egent, non continens, sed eorum baptizatorum in fide decessum exprimens. Hujus exemplar mecum non detuli, nec, etsi pluries per literas requisierim, habere potui, quem hic transcriberem. Parco quod in hoc et aliis inde ad me remittendis, lutherana, ob vulgatum meum *Responsum Antapologeticum*, persecutio taliter amicos meos terruerit. Sed nec valde necessariam chartam puerorum judico, patefacta pietate in supra adducta pro viris. »

(*Echo Adei*, part. 1, pag. 481-488).

APPENDIX XIV (ad pag. 102).

QUÆRITUR : NUM PAPA SUBSIT SYNODO
ŒCUMENICÆ ?

« Supponendum est, ex Evangelio, equaliter dixisse Christum soli Petro : *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis*, etc.; æque obtulisse Petro soli : *regabo pro te, ut non deficiat fides tua* ; ac toti collegio : *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Soli Petro dictum est : *confirma fratres tuos*. Soli ipsi oblatae sunt *claves regni caelorum* singulariter ; sibi triplicato impositus *pastus gregis dominici* ; et postquam cunctis data est doctrina de correctione fraterna, referendisque ad Ecclesiam incorrectis criminibus (Matth. XVIII) : Petro sciscitanti, quoties fratri peccanti dimissurus esset delicta, dictum est : *dimitte septuagies septies*. Inde infero : evidens ergo fit, tantam auctoritatem datam esse a Christo soli Petro quantam toti Ecclesiæ. Imo de hac sic adhuc notandum est. Quando Christus auctoritatem apostolis simul contulit, non præscindit a Petro, sed toti collegio dedit, cujus caput constitutus est Petrus, ut vidimus ; quando vero data est Petro, ei soli dictum est : *dico tibi, tu es Petrus... tibi dabo claves... ; Simon... pasce oves meas... quodcumque*

ligaveris, etc. Videtur hinc insolubilis illatio: ergo *soli* Petro data est tanta auctoritas, quanta toti Ecclesiae: nec Ecclesiae data est, nisi comprehenso in ipsa Petro capite, sine quo Ecclesia non est quam Christus instituit; sed corpus acephalum... Ex his igitur arguuntur theses sequentes, quæ ad præsens nituntur eisdem principiis.

CONCLUSIO I. Papa, qua successor Petri, solus ejusdem auctoritatis est in proponendis scripturis et judicaturus de omnibus, sicut tota Ecclesia cum ipso. Ratio est clara, et patet in Petro, cujus Papa successor est, ut diximus.

CONCLUSIO 2. Siquidem Ecclesia tota infallibilis est regula, ut supponitur, non præscisa, sed cum capite ipso; *caput* solum, id est *papa*, qua caput et papa est (non vero ut particularis homo, quomodo vere deceptibilis est), erit æqualis infallibilitatis ac ipsa. Ratio est eadem, ex institutione et æquali assistentia Christi.

CONCLUSIO 3. Ecclesia, vacante papatu, non potest novas leges condere, quæ sequentis Pontificis confirmatione non egeant, nec aliquid de fide statuere, aut proponere; sed judicare et regulari legibus et doctrinis antecedenter habitis. Ratio est, quia non est corpus perfectum, quod Christus condidit visibili capite constans in *Petro*; usque dum novum ejus successorem recognoscat.

CONCLUSIO 4. Papa, *in spiritualibus*, non eget convocare Ecclesiam, ut judicet de omnibus; sed si hoc facit, est solum ad judicandum solemnius. Ratio, quia solus *Petrus* factus est *pastor* et *caput*... Dixi *in spiritualibus*; quia de temporalibus (directe) nil stabilivit *Christus* dicens (Luc. XII, 14.): *quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* et (Joan. XVIII, 36): *Regnum meum non est de hoc mundo.* Unde temporalis jurisdictio Papæ, aliunde, et jure humano introducta explicabitur infra (ad qu. 89) (1).

CONCLUSIO 5. Papa potest solus judicare de tota Ecclesia: tota autem Ecclesia, sine ipso, non potest judicare de Papa. Ratio primæ partis est clara, quia solus est *caput*. Secunda est clarior: quia sine illo non est corpus Ecclesiæ, sicut sine capite non est corpus humanum, sed *truncus carnis*. *Caput* ergo non subditur corpori reliquo, sed *soli Deo*. »

(*Echo fidei*, part. II, pag. 71 et seq.).

(1) Et quidem explicatur fuse in duplici dissertatione quarum prior agit *de compatibilitate dominii temporalis cum supremo regimine spirituali* (p. 157-165); posterior vero *de origine, justitia et utilitate dominii temporalis summi pontificis* (p. 165-187). Utriusque mentionem fecimus supra (p. 150).

ADNOTATIONES.

Ad pag. 1 lin. 10. Phrasis subobscura. Alludere videtur mihi auctor ad partes protestantium qui, regnante Anna (1730-1740), rerum potiti fere totius imperii gubernacula tenebant, summoque odio persequerentur quoscumque indigenas in catholicam religionem propensos, adjutore Theophane Procopovitch, archiepiscopo Novgorodensi, insigniter lutheranizante. Recole dicenda in ultima adnotatione, p. 194.

Pag. 2 lin. 9. Stuardorum regiæ familiæ sanguine junctum fuisse ducem de Liria diximus in præfatione, agentes de ejus legatione in Russiam deque concione a P. Ribera Mosquæ habita, die 20 Julii S. Jacobo apostolo sacra.

Pag. 11 lin. 17. Patriarcharum Mosquensium seriem orditur quidem Job metropolita, at nonnisi ab anno 1589; die namque 10 Januarii hujus anni in patriarcham electus fuit a concilio ad hoc celebrato Mosquæ, die vero 23 ejusdem mensis solemniter inthronisatus. Ipsius tamen patriarchatus initia ducunt quidam ab anno 1588, quo Moscuam advenit Hieremias, patriarcha Cpolititanus, secum afferens decretum a cæteris quoque patriarchis orientis subscriptum, de novo hoc patriarchatu instituendo.

Pag. 12 lin. 14. Tchudov, Goritz et Simonov nomina sunt monasteriorum; de quorum secundo, utpote minus noto, pauca adnotabo. Exstat monasterium *Goricense* in diocesi Pereiaslaviæ, ut vocatur, Transilvanæ (Zaleski), eminetque *monticulis* a quibus ideo nomen suum traxit. Tempore quo *Narrationem* suam scribebat Ribera, numerabatur inter præcipua, quippe cujus archimandrita propriam in synodo obti-

neret sedem. Sæculo XVIII ineunte possidebat aulas 500 cum 4,870 servis; erat tamen minus locuples quam alia duo monasteria; nam Simonoviano erant aulæ 2,500 et fere 3,000 servorum; Tchudoviensi autem 3,500 aulæ et servi 11,500. Verum omnium locupletissimum monasterium erat Troicense; possidebat enim aulas 20,394 et servos 38,660, adeoque duplo magis quam tria prædicta monasteria simul sumpta (Cf. Histor. Petri I, auctore. Nic. Ustrialov, t. IV, part. 1, pag. 548). Anno 1730, archimandritæ Goricensis munus obibat Hilario. Eodem tempore Leo Jurlov, ejus prædecessor ac deinceps episcopus Voronegiæ, una cum Ignatio Smola, metropolita Colomnensi (horum meminit Ribera, tacitis nominibus, ultima linea), traditi fuerunt a synodo brachio seculari, instigante potissimum Theophane Novgorodensi, qui tunc vices præsidis in synodo agebat eamque talibus consiliariis componendam curavit qui essent ei obsequentissimi et ad nutum ejus semper parati, adversariis penitus exclusis.

Pag. 22, lin. 4. Neutrum verum est: erat enim Basilius filius Joannis Schuiski, cujus stirps originem traxerat ab Andrea Jaroslavitch, Susdaliæ duce, fratre Alexandri Nevensis, qui uterque floruit sæculo XIII. Andrea Jaroslavitch meminit ipsemet Ribera in *Tabula chronologica* p. 345 his verbis:

« Anno 1248, Andreas Jaroslawitz, tertii fratris Georgii Wsewelodowicz filius. Hic imperavit quinque annis, post quem item tres ejusdem fratres vicissim successere, Alexander Newski, Jaroslaw Twerski et Basilius Kostromensis. » Ad thronum vero evectus est Basilius Schuiski eo quod ipsius potissimum ope Demetrius inde fuerit pulsus.

Ibid. lin. 19. De Ignatio patriarcha eadem regerit Ribera in *Tabula chronologica*, p. 356: « Anno 1605, Ignatius secundus patriarcha Moscuæ a ficto Demetrio imperante constitutus; tandem post sesquiannum, cum ipso cæterisque ejusdem sociis occisus est » etc... Undenam id de nece Ignatii edoctus fuerit Ribera, equidem ignoro; verum scio patriarcham aufugisse in Poloniam, ibique mortem placide obivisse

in quodam monasterio, testibus Kulesza, Kulczinio aliisque.

Pag. 32, lin. 11. Christianus Grotius, vel Gross, Petropolim advenit anno 1725 una cum Bilfingero, olim suo magistro, cujus lectionibus publicis usus erat Tubingæ. Eodem patrone, Academia petropolitana recenter instituta adnumeratus fuit anno proxime sequenti. Ad hæc, præceptoris munus obtinuit apud comitem Osterman, imperii Cancellarium magnæque tunc auctoritatis virum, in cujus etiam domo degabat Mosquæ, non solum liberis ejus erudiendis intentus, sed variis quoque scriptionibus in usum Cancellarii perficiendis. Theophanem archiepiscopum Novgorodensem noverat Grossius bene colebatque adeo ut unum *ex suis* esse diceret, ob magnam scilicet viri in doctrinas Lutheri propensionem.

In explicandis Russorum nummis usus est *Libro Graduali*, quem Theophilus Krolik e slavonico fecerat latinum. Vocatur autem liber iste *Gradualis* eo quod historiam regum Moscoviæ contineat juxta gradus eorum genealogicos distributam. Ope ejusdem *Libri Gradualis* confecit anno 1728 Tabulas chronologicas historiæ Rossiæ, quas aliquantulum correctas in fine suæ Narrationis de statu Ecclesiæ Moscoviticæ ad instar appendixis adjecit Ribera.

Inde ab anno 1731 erat Grossius a secretis apud legatum Brunsvicensem, baronem Krahm, cui ab Ostermano fuerat commendatus. Verum insigne hoc Cancellarii patrocinium in causâ fuit cur vitæ suæ miserandum finem habuerit professor eruditus, ut Grossium vocat Ribera. Cum enim, cadente Ostermano, ipse quoque criminis læsæ majestatis fuisset inculpatus, mortem sibi ultro intulit, an. 1741, ut judicii pœnæque ignominiam effugeret.

Præter *Tabulas Chronologicas* hodie prorsus obsoletas composuit Gross *Institutiones philosophiæ rationalis, seu logicæ, in gratiam celsissimi principis Antiochi Cantemiri conscriptas*, quæ adhuc manent manuscriptæ et verosimiliter manebunt in ævum.

Ad pag. 73, lin. 19. In editione Viennensi nomen infelicis

Eudoxiæ Lopuchin fœde corruptum est in *Ottokesiam Fedorowitz Lapucki*, alibi vero, nempe in Tabula Chronologica (p. 359), in Ottokesam Lupuchin.

Ibid. lin. ult. Ex Albendinorum gente apud Livones nobili et vetusta prognatam fuisse Catharinam tradiderunt alii quoque scriptores, ætate quidem nostro priores, verbi gratia, Hæbner in *Tabulis Chronologicis*, quemadmodum id testatur Weber, — auctor operis cui inscribitur: *Russia transformata (Das Veränderte Russland, ed. 1721)*. Rectius tamen Alfen-deliorum nomine hanc familiam vocant comes Rabutin et post eum P. Andrias, e nostra Societate, qui anno 1637 Græciæ vulgavit brevem *Notitiam imperii Moscovitici*, Patri Fr. Xaverio Kislinger a quibusdam perperam tributam. Addit P. Andrias Catharinam, cum Tissenhausii in exercitu Russico tribuni locum tenentis vidua fuisset, ob insignes dotes a Petro I in uxorem esse assumptam (p. 164). Aliter omnino sentiunt recentiores, fere pro certo habentes genuinam Catharinæ familiam esse Skavronskianam, qua de re plura reperies in *Historia Petri I*, quam summo studio adornavit Nicol. Ustrialov, documentis authenticis potissimum innixus (t. IV, part. 1, cap. V).

Pag. 107, ult. lin. Ultima *Narrationis* hujus verba omisimus consulto, ob rationem alibi dictam. Sunt autem hæc: « Utque nihil ad vestræ Ecclesiæ et imperii ornamentum me videatis omittere, cunctorum oculis communicandas adjungo sequentes Tabulas sacro-politicas vestræ chronologiæ. » — Quamvis autem Tabulæ istæ nimis obsoletæ sint, quædam tamen ex eis in præsentibus derivavimus adnotationes, lectoris curiosi causa.

Ad pag. 119, lin. 6. Pluries se adfuisse ludis litterariis atque publice argumentasse, tradit Ribera etiam alibi. Sic in *Echo fidei*, quæst. XLV, pag. 281, narrat se invitatum fuisse ad solemnem disputationem, in Gymnasio theologiæ Mosquensi mense Martio anni 1729 habitam, in eaque impugnasse thesim inter oblatas sibi ordine sextam « tanquam

thomisticæ scholæ dissonam. » Thesis porro erat hæc : *Christo impositum fuit præceptum minus rigorosum mortis; nam supposito præcepto rigoroso (id est, stricto), non salvatur libertas Christi.* » Liberrimam fuisse Christi mortem simul et strictum præceptum Patris sustinuit Ribera adversus defendentem, rationumque suarum summam paucis exposuit, loco modo citato.

Pag. 128. Die 24 julii, adeoquo paulo post solemnem illam disputationem, sequentia mandabat Gross ad Bayerum, celebrem academiæ petropolitanae professorem: « Promulgatæ fuerint hic (Moscuæ) ab academia ecclesiastica theses theologiæ, superposita icone in qua repræsentabatur papa inter Mahometem et Sabellicum (sic) medius. Cujus imaginis occasione P. Ribera, antequam argumentandi sumpserit exordium, concionem habuit ad auditores Academiæ perargute dictam. Narrabatque prædictam iconem confectam fuisse ab archimandrita monasterii, insciis archiepiscopis qui, teste eodem Ribera, eam sibi minime probari asseverarunt. (Cf. Pekarski, *Histor. Acad. Petropol.* t. 1. pag. 216.)

Publicæ istæ Romani Pontificis vindiciæ maturarunt magisterii theologiæ lauream qua Moscuæ redux Viennæ decoratus fuit Ribera, stimulum laureaturis addente cardinali Lud. Beluga de Moncada, Hispaniarum protectori atque regio apud S. Sedem ministro. (V. Epist. dedic. libro *Echo fidei* præmissa.)

Ad pag. 154, Hactenus Warmundus, cujus testimonium depromptum esse puto ex ejus opusculo cui inscribitur : *Universa religio moscovitica*, etc., Theophili Wahrmundi nomine insignita vel potius larvata. Est enim pseudonymus Georgii Adami Schleussing, qui anno 1688 vulgavit Zittaviæ *Anatomiam Rossicæ deformatæ* germanice conscriptam ; quam deinceps novis typis mandavit non semel, easdem fere materias diversimode retractans, nomine tantum operisque titulo mutato. Ejusdem igitur auctoris sunt tum *Siberia recenter detecta*, tum *Regiminis sceptrum trium principum Joannis et Petri Alexiewitz necnon et Sophiæ, eorum sororis (Dreifach geführt*

ter *Regiments-Stab*, etc.), tum alia quædam opuscula variis linguis a variis recocta. De hac multiplici Schleusingii metamorphosi plura erudite non minus ac argute scripta inveniet curiosus lector in libro : *Pierre le Grand dans la littérature étrangère*, auctore Rudolpho Minzloff. (Petropoli, 1872.)

Ad pag. 180, lin. 2. *Bardus* vel *baro* significat etiam hominem stupidum. Ambiguam significationem verbis alligat. *Ribera* non semel ; sic *Buddeum*, a nobis toties commemoratum, irridens appellat *Bi-deum*.

Ad pag. 185, lin. 19. Huc faciunt ea quæ scripsit *Ribera* in *Echo fidei* : « Novissimo currentis anni facto testis est Russia ; ubi contra *Responsum Antapologeticum*, quod vulgatæ *Buddei* nomine *Apologiæ pro Lutherana Ecclesia* catholicus opposueram, serenissimæque Imperanti typis dicaveram, non pennis surrexere Lutherani, sed pœnis corporalibus in Ruthenos eis aversos inflictis. Episcopos, archimandritas aliosque afflictos eorum arte, tanquam juvare ipsos impotens doleo, quia exemplaria opusculi mei servassent quæ me procurante receperant. Erit ne hoc sacræ Scripturæ *myrothecium* Lutherano jure permissum ? Alia non profero quibus opusculum meum occludi desiderabat Lutheranorum ars, otiante doctrina, cum me salvum fecisset distantia. Prophetiam includebat opusculum, cum (sect. n. 1, p. 21) scripsi : *Vereor ne, me scribente, in Ruthenos vertatur odium eorum qui a Rutheno (Javorskio) offensi, in Latinos exercuere vindictam*. Impletum ab ipsis opus fecit me vatem ; cujus publicitas facti verum me comprobabat testem » (Part. I pag. 48.)

INDEX CAPITUM.

Præfatio editoris.	
Prologus	5
Cap. I. Initia fidei christianæ in Russia.	7
Cap. II. Regimen et hierarchia Ecclesiæ.	9
Cap. III. Gradus hierarchiæ Ecclesiæ.	13
Cap. IV. De tolerantia alienæ religionis et fidei	17
Cap. V. Secta Rascolnicorum, hæreticorum inter Ruthenos	25
Cap. VI. Instructio juventutis et plebis	28
Cap. VII. Libri sacri.	31
Cap. VIII. Tempus cultus sacri solemnioris	39
Cap. IX. Sacramenta septem, Baptismus	45
Cap. X. Confirmatio	49
Cap. XI. Eucharistia	50
Cap. XII. Pœnitentia	59
Cap. XIII. Extrema Unctio.	60
Csp. XIV. Ordo sacer	62
Cap. XV. Matrimonii celebritas	64
Cap. XVI. Bigamia, trigamia, etc.	67
Cap. XVII. Matrimonii dissolutio quoad vinculum	70
Cap. XVIII. Matrimonia cum extraneis.	74
Cap. XIX. Matrimonium dubium Rutheni bigami cum soluta catholice.	77

Cap. XX. Cultus Sanctorum, imaginum, reliquiarum sanctuariorum, etc	79
Cap. XXI. Jejunia communia Eccl. Ruthenæ	86
Cap. XXII. Circa mortuos fides et ritus	91
Cap. XXIII. Status monasticus	97
Cap. XXIV. Errores.	
Cap. XXV. Exhortatio ad Ruthenos prælatos.	103

APPENDICES

Appendix. I. De SS. Cyrillo et Methodio.	109
— II. Disputatio publica de processione Spiritus sancti	119
— III. De signo crucis, etc.	128
— IV. De auctore et editionibus <i>Confes-</i> <i>sionis fidei orthodoxæ.</i>	136
— V. Libri corrupti a Græcis	140
— VI. De auctore officii Præsantificatorum pro quadragesima	145
— VII. De præcepto confessionis	148
— VIII. De sacerdotio honorando.	149
— IX. De nuptiis Petri II.	155
— X. De salute animarum in bona fide ver- santium	156
— XI. De quodam miraculo Moscæ patrato.	158
— XII. De jejunio Sabbati nec non de plu- ribus canonibus Concilii Trullani jamdudum obsoletis.	161
— XIII. De chirographo sepeliendis apposito.	
— XIV. De potestate Papæ supra concilium œcumenicum.	186

INDEX HISTORICUS ET TOPOGRAPHICUS

A.

- Academia petropolitana, p.30, 191.
Achaia, 7.
Africa, 173.
Agapetus papa, 146.
Albendinorum familia, 73, 192.
Alfendel, 192.
Alexander Nevski, 79, 190.
Alexius Michailovitch, 130, 153.
Alex. Petrowicz, xv.
Allatius, 82, 126.
Alvares Pelagius, xii.
Amathus, urbs Cypri, 41.
Ambrosius (S.). 173.
Amernumnes, califus, 112.
Amstelodamum, 152, 179.
Anastasius bibliothecarius, 115.
Andreas apostolus, 7, 80.
Andreas (Boholubski), 10.
Andreas Jaroslavitch, 190.
Andrias, S. J., 192.
Andronicus (S.), 117.
Angli, 37, 38.
Anglia, 18, 36, 171.
Anna, filia Romani Imper., 8.
Anna Ivanovna, Imperatr. Russiae, xv, 22, 150, 189.
Anna, filia Petri I, 170.
Apollinaris hæretic., 163
Archangelsk., urbs, 52.
Arcudius, 61.
Argentoratium (Strasburg), 153, 179.
Ariani, hæretici, 19.
Arius, 120.
Arnoldus, Gallus, 137.
Ascanio Salvator, O. Præd., 177.
Asnières, pagus Asinarius, vii.
Astrakan, urbs, 11, 13.
Athanasius, episc., 115.
Athanasii (S.) Coll. græc., 29.
Augustinus (S.), 34, 169, 173.

B.

- Balsamon, 125, 165.
Barbosa, juriscons., 85.
Barchman, vii.
Barcino, urbs., ix, xi, 125, 165.
Baronius, 143, 145, 165.
Basilius (S.), 33, 38, 98.
Basilius I, Macedo, 7, 144.
— II, Imper. 8, 144, 145
— Schuiski, 22, 190.
— Kostromensis, 190.

- Bayerus, academic., 193.
Beda (Vener.), 165.
Belgium, 175.
Bellarminus, 143, 174.
Belluga de Moncada, cardin.,
xxii, 1, 193.
Beseleel, 103.
Bessarion, cardin., 165.
Bilfinger, xxi, 191.
Blumentrost, xx, xxi.
Bollandiani PP., 113.
Boris Godunov, 20, 21.
Boristhenes fluv., 8.
— Buddeus (Franc.) xvii, 84, 194.
Bulgaria, 7.
Burius, 145.
- C.**
- Cabasilas (Constant.), 125.
Calvinus, xxvii, 121.
Cantabrigenses magistri, 37.
Cantemir (Antiochus), 191.
Carolus I, rex Angliæ, 37.
Carranza, canonist., 33.
Cassiodorus, xxiii.
Castella, prov. Hisp., 175.
Catalaunia, item, ix, 61.
Catharina I, Petri uxor, iii, 73,
192.
Catharina, soror Annæ Ivanovnæ, 170.
Cervaria, urbs, xi.
Chersona, urbs, 112, 113.
Chosroes, Persarum rex, 89, 90.
Chrysostomus (Joan.), 33, 35,
40, 53, 55.
- Claudius (Joan.), calvinista, 137.
Clemens (S.), papa, 109, 112,
115, 161.
Colluthus, hæret., 163.
Comnenus (Nicol.), 73, 81, 82,
124, 169.
Concilium, v. Synodus.
Confessio Orthodox. fidei, liber,
xv, 16, 32, 128, 136.
Constantinopolis, 8, 35, 89,
107, 110, 113, 147.
Constantinus, Cfr. Cyrillus.
— Porphyrogeni-
tus, 169.
Cosmas quidam, 159, 160.
Cyrillus Berrhoensis, 137.
— seu Constantinus, Sla-
vorum apost., 7, 109,
118.
— Hierosolymitanus, 33.
— Lucaris, xvi, 137, 139.
- D.**
- Damascenus (Joan.), 33.
Demetrius Chomatenus, arch.
Bulgar., 125.
— Joannis Vasilievitch
verus filius, 20, 21.
— filius fictus, 20, 21, 190.
Dionysius, patr., 137.
Dolgoruki (Sergius), vii, (Geor-
gius), 18.
Dominicus (S.), xxxi.
Dositheus monach., 169.
— patr. Hierosolym, 140.

- E.**
- Echo fidei*, vi et sqq., p. 45 et passim.
- *religionis*, XIII. 45, 101.
- Ecclesia S. Andreae, Romae, 115.
- S. Athanasii, ibid., 29.
- S. Catharinae, Barcinone, 135.
- S. Clementis, Romae, 115.
- Hierosolym. nova, Moscuae, 150.
- S. Mariae ad Praesepe (seu Phatne), Romae, 115.
- S. Mariae, Moscuae, 150.
- S. Pauli, Romae, 115.
- S. Petronillae, ibid., 115.
- S. Sophiae, Cpoli, 113.
- Ephraem Syrus, 33.
- Epirus, 7.
- Episcopi Astrakan. 13, 15.
- Belogradens. 13, 15.
- Cholmogorodens. 13.
- Kazanens. 13, 15.
- Kioviens. 13, 15.
- Kolomnens. 13.
- Kruticens. 13, 15.
- Nizegorodens. 13, 15.
- Pscoviens. 13, 15.
- Riazanens. 13, 15, 127.
- Siberiens. 13, 15.
- Silvensis, in Lusitania, iv.
- Smolenscens. 13, 15.
- Suzdaliens. 13, 15.
- Tambovsc. 13.
- Tchernigoviens. 13.
- Tverensis. 13, 127.
- Ustingens. 13.
- Viatcensis. 13.
- Voronegiae. 13, 190.
- Euchologium* graecum Goaris, 50. v. Goar.
- Eudoxia Lopuchin, 73, 192.
- F.**
- Faict (Joannes), ep. Brug., ix.
- Faventia, i. q. Barcino, xi.
- Florentia, XIII, 104, 176.
- Formosus ep., 115.
- Fredericus, dux Holsat, 177.
- Fritch (Thomas), 136.
- G.**
- Gabriel Buzinski, archiep. Riazan, 122.
- Gallia, 18, 171, 175.
- Gaudericus, ep. Velletr., 112, 115.
- Gavantus, 145.
- Georgius Coressius, 124.
- Metochita, 169.
- secretarius, 111.
- Vsewolodowitch, 190.
- Gerasimus mon., 170.
- Germania, 18, 171.
- Germanus, ep. Amathuntis, 41.
- Germanus, patr. Cp.; 169.
- Gerson, XIII.

Goar (Jacob), Ord. præd. auctor *Euchologii*, xxv, 39, 40, 41, 48, 51, 53, 55, 58, 59, 61, 65, 69, 83, 126, 146, 147.

Godunov, Boris, 20, 21.
— Theodorus, 21.

Gorazd, ep., 118.

Goritz, v. monaster.

Græcia, 62, 72, 81, 105, 128, 137, 139, 142.

Gregorius I, papa, 35, 49, 89, 143, 145, 146, 147.

— II, papa, 145, 148.

— III, papa, 169.

— Otrepiev, 21.

Gross, Grossius seu Grotius, 32, 191, 193.

H.

Hadrianus I, papa, 143, 172.

— II, papa, 115, 116.

— patr. Mosquens., 11.

Hedwiges, regina Sueciæ, 177.

Helena seu Olga, 8.

Heraclius imperator, 89.

Hieremias, patr. CP. 11, 173, 189.

Hieronymus (S.) XII, 31, 123, 175.

Hierosolyma, 90.

Hilario archim. 190.

Hispania, 6, 24, 123, 175.

Holmia, urbs Sueciæ, 139.

Holsatia, 177.

Huebner, 192.

I.

Iconomachi, 79.

Ignatius (S.), martyr, 162.

— Loyola (S.), xxvi.

— (S.), patr. CP. 144.

— patr. Mosquens. 22, 190.

— Smola, metropolita Kolomn. 190.

Igor, dux Kiov. 8.

Illyricum, 7.

Irene Dolgoruki, VII.

Isaias Throphimovitz, 139.

Isidorus metrop. Kiov. 104.

Ister fluv. 7.

Iwan, frater Petri I, 151, 193.

J.

Jacobus (S.), apostol., XIX, 189.

— III, rex Angliæ, XIX. XX.

Jannes, patr. Cpolit., 111.

Jansenius, XXIV, XXVII.

Jaropolcus, dux Kiov. 8.

Jaroslaus, dux Twerensis, 190.

Javorski, Stephanus, XVII,

XXIV, 11, 19, 93, 194.

Joannes Danilovitch, 11.

— II, Basilewitch, 11.

Joan. VIII, papa, XX.

Job, patr. Mosquensis, 11, 189.

Josaphat, sacerdos græcus, 83.

Josephus Cononowitch, 139.

Jubé, VII, XXVIII.

Justinianus, imperator, 165,

Justinus, martyr, 161.

K.

Kalmukorum gens, 9, 18, 45,
46, 47.
Kazan, urbs, 11, 13.
Khazari, 112, 113.
Kislinger (Fr. Xaver.) S. J. 192.
Kiovia urbs, 7, 11, 13, 80.
Köcel, Pannoniæ dux, 114, 116.
Koletti (Euthymius), xv.
Kormtchaia (Nomocanon), 33.
Krahm, baro, legatus Brunsvicensis, 191.
Krolik (Theophilus), archimand. xv, 130, 133, 191.
Krook (Gudmund.) 173.
Kulczinski, 191.
Kulesza, S. J. 191.

L.

Lacour, viii.
Lapuchin, V. Eudoxia.
Leo (S.) I, papa, 143.
— IX, papa, 162.
— pater Cyrilli et Methodii, 110.
— VI, imp. græc. 169.
— Jurlov, ep. Voroneg. 190.
— philosophus, 111.
Leunclavius, 126.
Ligaridius (Pantaleo), 182.
Liria, dux. vi, x, xix, xxxi, 6,
24, 25, 47, 168, 189.
Lucas Chryseberg. patr. CP. 175.

Lutherani, xxxi, 19, 23, 32, 36,
84, 94, 95, 194.
Lutherus, xiv, 120, 191.

M.

Macedenius, hæret., 121.
Machiavelli, xii.
Mahometes, 81, 103, 123, 193.
Malou (J. Bapt.), ep. Brug., viii.
Marcus solitarius, 175.
Mare Angustum, 111.
Margunius (Maximus), 124, 163.
Maria Virgo, xiv, 44. Imago ejus Mosquens, 159.
— mater Cyrilli et Methodii, 110.
Maslenitza sen butyracea, 90, 91.
Maximus, metrop. Mosq. 11.
Mecklenburgum, 170.
Meiersberg (Augustin.), 179.
Methodius, patr. CP. 48.
— frater Cyrilli, 109, 113.
Michael, imper. græc. 114, 116.
— syrus, metrop. Kiov. 9.
— Fedorovitch, 22, 154.
Minzloff (Rudolph) 194.
Moga (Raymundus), xi.
Mogila (Petrus) metrop. Kiov. xxi, 136, 138, 140, 141.
Moldavia, 139.
Monasterium, Alexandri Nevens. 79.

- Monasterium Cryptæ-Ferratæ**, 146.
— **Devicense** (Virginum), 73.
— **Goricense**, 12, 189, 190.
— **Kioviense**, 98.
— **Polychron.**, 113.
— **Simonov**, 12, 189, 190.
— **Spaski** (Salvatoris), 46.
— **Tchudov** (miraculi), 21, 98, 190.
— **Troitzæ** (Trinitatis), 24, 30, 32, 79, 84, 98, 126, 158, 190.
— **Vladimiriense**, 98.
— **monialium**, 99.
Moravia, 7, 109, 114, 118.
Morinelli, xx.
Moscovia, 70, 72, 80.
Moscua, urbs, vi, 10, 21, 24, 29, 34, 45, 49, 50, 57, 73, 77, 80, 94, 107, 135, 152, 168, 176, 191, 193.
Mullerus, acad. xiv.
Mutawakkil, califus, 112.
Myra, urbs Lyciæ, 85.
Mytarstvo seu Telonium, 98.
Neapolis, urbs, 180.
Nectarius, patr. hierosol. 138.
Nesvizium, urbs Lith. 39.
Neva, fluv. 79, 80.
Nicephorus, patr. CP. 68, 75.
Nicolaus (S.) Myrensis seu Barenensis, 185.
Nicolaus I papa. 143.
Nicon, patr. Mosquens., 26, 130, 132.
Nointel (Carol.) marchio, 137.
Normann (Laurent.), 136.
Novgorodia, urbs, 7, 13.

●

Obiednia, missa, 40.
Odo, ep. Paris. 44.
Olau, Silesiæ urbs, xiii.
Olearius (Adam), 177, 178.
Oleg, Kiov. dux. 8.
Olga seu **Helena**, Kiov. ducissa, 8.
Olympus, mons Asiæ min. 112.
Oliab, 103.
Oppenbusch (Michael), 152, 175.
Orki (Orsza), urbs, 75.
Osterman, 191.
Oxonenses magistri, 37.

N.

Natalia, magna ducissa, 24, 167.

P.

Palæstina, 32.
Panagiota, 137.

- Pannonia, 114.
Papebrochius, 144.
Parthenius, patr. CP. 137, 138.
Paschalis II papa, 55.
Paulus diaconus, 166.
Pekarski, xxi, 193.
Pelagius II papa, 147.
Perejaslavia Transilvana, 189.
Persia, 90.
Petrejus (Petrus), 177.
Petroburgum v. Petropolis.
Petropolis, xv, 24, 30, 31, 79.
Petri (S.) jejunium, 87.
Petrus I, imper. Russ. vi, 11, 27, 29, 30, 73, 74, 80, 119, 151, 165, 193.
— II, imper. Russ. viii, xv, 64, 152, 153.
— de Luna, 83.
— Metrop. Mosquens. 11.
Philanthropinus (Alexius Lascaris), 165.
Philaretus, patr. Mosq. 22.
Philippus V, rex, xiii.
Photius patr. CP. 106, 111, 143, 145, 173.
Phullensis gens, 113.
Pius (S.) V. papa, 141.
Platina, historic. 165.
Polonia, 21, 29.
Polychron, v. Monasterium.
Pontus, prov. Asiæ min. 7.
Porphyrius, metr. Nicænus 139.
Possevinus, (Anton.), S. J. 144.
Prodromus, *scriptor* 175.
Q.
Quesnelliani, xxviii.
Quinisexta Synodus, v. Synodus.
R.
Rabutin, comes, 155.
Raskolnici, 26, et seq. 129 et seq.
Responsum Antapologet. V.
Ribera.
Revalia, 31.
Rhensko, vinum Rhenanum, 52, 53.
Rhenum, 52.
Ribera, vi, et seqq. 6, 45, 84, 150, 158, 161, 189, 190, 191, 192, 193, 194.
Roma, 14, 25, 29, 42, 107, 109, 114, 130, 173.
Romanov, 82.
Romanus I, imp. græc. 8.
Rostislaus, Morav. dux, 114, 118.
Rublones, 28.
Russia, 7, 8, 10, 20, 29, 30, 84, 53, 57, 58, 62, 63, 73, 82, 90, 98, 141, 166, 168, 171, 176.


S.

- Sabellius hæret., 121, 123, 128,
156, 193.
Sacraus, 153.
Sardinia, 153.
Sarski, v. Kraticensis.
Schilgen, xxii.
Schleusing, 193, 194.
Schuiski, v. Basilius.
Schumacher, xx, xxi.
Schwabe (Joannes), 178.
Seythia, 7.
Sendomirensis princ. filia, 21.
Sergius I papa, 165.
Siberia, 64, 155, 193.
Slavonia, 112.
Sledovanna psaltir (psalterium. cum precibus), 39.
Smolenskum, 29, 75.
Sobor, ecclesia, 24, 98.
Societas-Jesu, xi, xxv, xxvi.
Sophia, Petri I soror, 193.
Sorbonnici doctores, vii.
Spasski, v. Monasterium.
Stephanus Javorski, v. Javorski.
Stetinum, vi.
Strogonov, baro, 24.
— baronissa, 44, 47.
Stuart, xix, 189.
Suabia, 118.
Sueci, 19.
Suecia, 177.
Sviatopulcus, Morav. dux, 18.
Sviatoslaus, Kiov. dux, 8.
Synodus Aurelianensis, 169.
— Chalcedonensis, 9.
— Cpolitana (an. 873), 145.
— Cpolitana III œcum.,
142.
— Cpolitana (an. 1634),
183.
— Florentina, 51, 81, 104.
— Gangrensis, 169.
— Glasensis (Jassensis),
139, 140.
— Hierosolymitana, (1672)
140.
— Laodicena, 68, 147, 155.
— Mosquensis, 130.
— Neocæsariensis, 68.
— Tridentina, 71, 85, 142.
— Trullana, 146, 177,
162, 164, 175.
— Petropolitana, 14, 29.
Syrigus (Meletius), 136, 137,
139, 140.

T.

- Tarasius, patr. CP., 172, 173,
175.
Tartarorum gens, 9, 18, 45, 79.
Tauris, 109.
Tchoudov, v. monasterium.
Tchasmik seu horologium, 39.
Tertullianus, 19.
Theoctistes, 110.
Theodorus, Joann. IV filius,
20, 22.

- Philaretus, patr. Veccus, patr. CP., 172.
Mosquens, 22. Venetia, 114.
— Studita, 172. Vienna, 193.
Theophanes Procopovitch., Vladimiria, urbs, 10, 11.
xvi, xviii, 27, 81, 119, 189, 191. Vladimirus, Kiov. dux, 8,
98, 143.
Theophilus Krolik, v. Krolik.
Theophylactus, 33, 92. Vladislaus, Polon. rex, 22.
— Lopatinski, Vsevolodus, Kiov. dux, 10.
ep. Tverensis, xvi, xvii, 127.
Thessalonica, urbs, 114.
Thomas (S.), apost., 34, 125, W.
156, 175.
Thomas (S.) Aquinas, xi, xxiii. Warmund (seu Wahrmond),
150, 193.
Thracia, 7. Warsavia, xxi, xxxi, 94.
Tissenhausen, 192. Weber, 192.
Troicense mon. v. monasterium. Wigandt, 171.
Tubinga, 191. Wratislavia, xxxi.
Turcia, 18, 22.
- U.** **X.**
- Ulma, urbs, xiii. Xenovitz (Ignatius), 139.
Upsalia urbs., 178. Xerica et Liria, xix.
Urgellensis episc., xi.
Ustrialov, 190, 192.
- V.** **Z.**
- Valachia, 52. Zeltnerus, xviii, xix.
Zephyrinus, papa, 161.
Zittavia, urbs., 193.



ERRATA.


- Pag. vii, lin. 18, lege : *Sergius* pro *Basilius*.
Pag. 82, lin. 2, legatur : *commemorato* pro *commeato*.
Pag. 83, lin. 9, ponatur : *quod* pro *quem*.
Pag. 111, legendum : *angustum* pro *augustum*.
Pag. 191, lin. 4, lege : *Tubingæ*.
Pag. 194. lin. 7, post *alligat* tollatur punctum.


ME

u

7

u-5m











THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOKS
~~DEC 2 1991~~

